MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80637-13

AUTHOR:

ALBRECHT, LORENZ

TITLE:

DE CONRADI III, HENRICI FILII, FRIDERICI I

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

1866

Master Negative #

92-80637-13

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

943.024
A115 Albrecht, Lorenz, 1835-
De Conradi III, Henrici filii, Friderici I, Henrici VI, regum Suevicorum electionibus disquisitio... Vratislaviae, Jungfer, 1866.
34 p. 21½ cm.


Thesis, Breslau.

4949


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-15-93 INITIALS MY
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT







AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202


Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE CONRADI III, HENRICI FILII, FRIDERICI I,
HENRICI VI, REGUM SUEVICORUM ELECTIONIBUS
DISQUISITIO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS HISTORICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA
VRATISLAVIENSI

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE IV. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLXVI

HORA XI

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

LAURENTIUS ALBRECHT,
BORUSSUS EX BORUSSIA OCC.

ADVERSARII ERUNT:
E. MELZER, DR. PHIL. TH. GROSS, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE.
TYPIS F. W. JUNGFERI.

PRAEFATIO.

Electiones regum Suevicorum sive Stauffensium alii ex iis qui historiam saeculi XII et XIII Germanicam perlustraverunt, breviter transierunt ac tantummodo perstrinxerunt, alii altius repetiverunt. Quos omnes enumerare hoc loco longum est. Adhibui in fontibus adeundis opera haec:

1) Calles ann. eccl. tom. VI. 2) Baronius ann. eccl. tom. IX. 3) Muratori ann. d'Italia tom. VI id. Antiquitt. Ital. diss. III. 4) Tolner hist. pal. 5) Giulini mim. di Mil. tom. V. 6) Jaffé Conr. III. 7) Raumer, Gesch. der Hohenst. 8) Luden, Gesch. der Teutsch. 9) Philipps, deutsche Reichs- und Rechtsgesch. 10) Ficker, Vom Reichsfürstenst. 11) Wattenbach, deutsche Geschichtsquellen. 12) Cohn, die Pegauer Annalen. 13) Weidenbach, Calend.

Nec omittendus esse videatur: »Rospatt, die deutsch. Königswahl,« sed hic libellus mihi usui esse non potuit, quia fontium nihil affert.

Fontes vero, quibus in hac opusculi mei parte quatuor electiones continente usus sum, sunt hi:

1) Sachsenspieg. ed. Homeyr. 2) Stück einer alt. Kaiserchr. in Hormayr's Arch. 14. Jahrg. — 3) Chron. Admunt. 4) Chron. Canon. Wissegrad. cont. Cosm. ap. Pertz m. XI. — 5) Burch. Biber. hist. Frid. imp. ed. A. Christmann. — 6) Vita Conr. I. archiep. Salzb. ap. Pez Thes. II pars III. — 7) Berthold. Zwif. chron. 8) Gesta Alberon. metr. anonymi auct. 9) Balder. Gesta Alberon. ap. Pertz m. X. — 10) Ott. Fris. chron. 11) ejusd. Gesta Frid. I. 12) Auct. incert. ap. Urst. — 13) Alberic. ap. Leibn. acc. hist. II. — 14) Ann. Marbac. 15) Ann. S. Disib.

16) Ann. Spir. 17) Ann. Col. max. 18) Chron. Magni presb. ap. Pertz m. XVII. — 19) Ann. Saxo. 20) Sigeb. cont. Gembl. 21) Rob. de Monte Cron. 22) Sigeb. cont. Aquic. ap. Pertz m. VIII. — 23) Helmold. chron. Slav. ed. Bangert. — 24) Ann. Magdeb. 25) Ann. Brunwil. 26) Ann. Peg. et Bosov. 27) Ann. Aquens. 28) Ann. S. Petr. et Aquens. 29) Ann. Rod. 30) Ann. S. Jacob. Leod. 31) Ann. Palid. 32. Ann. Isigr. maj. 33) Ann. Camerac. 34) Lamb. parv. ann. 35) Ann. S. Petr. Erphesf. ap. Pertz m. XVI. — 36) Luenig. spic. Trev. — 37) Gesta archiepp. Trev. ap. Mart. et Dur. Coll. IV. — 38) Wilh. Tyr. — 39) Chron. Lueneb. 40) Chron. reg. S. Pant. ap. Ecc. I. — 41) Chron. Sampetr. 42) Anonym. chron. Bohem. 43) Anonym. Sax. hist. ap. Menk. III. — 44) Chron. Mont. ser. im Progr. d. lat. Hauptschule zu Halle 1843—44. — 45) Conr. III reg. epist. ad. abb. Tegerns. ap. Pertz m. IV. — 46) Epist. Conr. III reg. ad. Eug. III pap. n. XX. 47) Wib. epist. ad Eug. III pap. n. CCCXLIV. 48) Frider. imp. epist. ad Eug. III pap. n. CCCXLV ap. Mart. et Dur. coll. ampl. II. — 49) Ann. Corb. ap. Pertz m. V. — 50) Dipl. Conr. III reg. ap. Herg. gen. gent. Habsb. II pars I. 51) ibid. Dipl. CXCII. 52) ibid. Dipl. CCCXLII. — 53) Kaiserchronik, ed. Massmann. — 54) Rich. Senon. ap. Böhm. font. III. — 55) Ligurin. ed. Duemge. — 56) Chron. Babenberg. ap. Pertz m. XII. — 57) Notae S. Georg. Mediol. ap. Pertz m. XVIII. — 58) Anonymi Weingart. 59) chronogr. Weingart. ap. Hess mon. Guelf. pars hist. — 60) Jacobi Parfuesz monachi Ensdorff. chron. Ensdorff. 61) Joan. Staind. chron. ap. Oef. I. — 62) Anonym. Farrago hist. rer. Ratisp. 63) Ladisl. Sunth. Monasteriol. Francon. ap. Oef. II. 64) Caroli Mag. imp. serm. de fund. Aquisgr. Basil. Mar. ap. Mir. I pag. 14 et diplomata quae sunt ap. eund. I pag. 187, 189, 278, 352, 386, 526, 537, ap. Lacombl. I pag. 216, 217. ap. Mart. et Dur. Coll. II pag. 103—105, ap. Toln. hist. pal. cod. dipl. pag. 40.

Consilium mihi est, quantum fieri poterit, ut ipsis fontium verbis utar; interdum etiam eorum quos antea dixi nitar auctoritate. Coronationis Romanae, quippe quae ad dignitatem imperatoris Romani attineat, rationem non habebo.

„Die düdeschen solen durch recht den Koning kiesen. Svenne die gewiet wert von den Bischopen die dar to gesat sin unde uppe den stul to aken kumt, so hevet he koninglike walt unde koningliken namen. Svenne in die pawes wiet, so hevet he des rikes gewalt unde kaiserliken namen."

Sachsensp. I pag. 226 Art. 52 § 1.

I. Electio Conradi III

anno 1138.

Moriturus Lotharius rex Henrico genero, Bavarorum duci, quem vivus marchionem Tusciae designaverat[1]), ducatum Saxoniae tradidit nec antea de ejus in regno successione cum Innocentio II papa agere non coeperat[2]). Etiam insignia imperialia[3]) inde a morte Lotharii penes Henricum sunt[4]), quae judicio et voluntate a rege ante mortem Henrico tradita esse ex regis benevolentia in ducem generum semper collata haud injuste conjicere nobis licet. Quae conjectura quodammodo confirmatur eo, quod Lotharius rex filios non habens[5]) in finibus Bavariae[6]) obiit et is quidem obiit 3. die Decbr. a. 1137[7]).

---

[1]) Jaffé pag. 1 n. 2.

[2]) Jaffé pag. 1 — Utramque traditionem attingit etiam Docen's Anz. einer ungedr. Kaiserchr. in Horm. Arch. 14. Jahrg. n. 111 pag. 586: „Ein lant hiesz Tuscan, die march er (sc. Heinrich) da gewan, (Ja verdient er umb daz rich) daz im der kaiser williglich Baider leh und gab."

[3]) Insignia imperialia erant insignia imperialis capellae quae regalia dicebantur. (Contin. Admunt. pag. 588 ad 1198.). Quorum singula per electionem Conr. III non inveniemus nominata. Aliis locis fere alia, omnia simul per electiones Stauff. nusquam invenimus. — Epist. Philip. regis Stauff. ad pap. ap. Pertz m. IV pag. 211 „.... habuimus etiam in potestate nostra st. crucem, lanceam, coronam, indumenta imperialia et omnia insignia imperii."

[4]) Anonym. Weing. pag. 33 § 2: „Dux ergo Heinricus gener ejus (sc. Lotharii) ... regalia reservavit" — Burch. Bib. pag. 6, 7. Mortuo autem Lothario, Henricus dux ... regalia reservavit. — Vita Conr. I archiep. Salzb. pag. 228 „Qui (sc. Heinricus) coronam ceteraque insignia imperialia apud se habebat." — Raum. I, 233. — Lud. X. 134. 135.

[5]) Burch. Bib. l. c., Otto Fris. chron. VII c. 22 ad. h. a. „obiit sine filiis." — Alberic ad h. a.

[6]) Burch. Bib. l. c. „Bavariae, in cujus finibus obierat." — Anonym. Weing. l. c. „in quibus finibus obierat" (sc. Bavariae) — id. l. c. § 1 „... inter Enum et Licum ... obiit" (sc. Loth.). Hess sub n. uu. interpretatur „Braitenwang." — Raum. I pag. 232.

[7]) Raum. l. c.

Ad Lotharii erga Henricum benevolentiam eximiam si accedere consideres hujus opes permagnas[8]), auctoritatem[9]) ejusque in patriam morita[10]), neque ei amicos defuisse, qui infestam regum Franconicorum et ducum Stauffensium in ecclesiam mentem significantes, Guelforum imprimisque Henrici in eandem merita praedicantes auxilium papae ad imperium obtinendum Henrico affuturum esse sperarent[11]), quid mirum, eum tamquam regem futurum se gesisse? Sed si auctoritate sua abusus est ad superbiam, animos a se avertit multorum, quos gratia et opibus anteiret[12]). Quin superbia sua paene omnium qui in expeditione Italica cum Lothario imperatore fuerant, odium contraxerat[13]).

---

[8]) Berth. Zwif. chron. pag. 114 ad h. a. „Henricus vero dux inter cunctos regni principes tunc ditissimus". — Vita Chonr. I archiep. Salzb. pag. 228 „virum (sc. Henricum) tunc potentia et divitiis praestantissimum." — Otto Fris. chron. VII c. 23 „princeps ... potentissimus" (sc. Henricus). ibid. „homo praepotens" (sc. Henr.). — Burch. Bib. pag. 7 et Alberic. ad h. a. eadem fere verba, quae Otto, habent. — Mir. I pag. 538 n. III... De ejus (Henr. sup.) Galfridus Anglus (qui Sigeberti chronicon continuavit) haec narrat: „Nullus est homo, qui tantas habeat possessiones sicut iste, nisi fuerit imperator aut rex: nam 40 urbes habet, et 67 castella exceptis pluribus villis." — Jaffé pag. 2.

[9]) Otto Fris. chron. VII c. 23 „.. cujus auctoritas (sc. Henrici ut ipse gloriabatur) a mare usque ad mare, id est, a Dania usque in Siciliam extendebatur." — Alberic. ad h. a. fere eadem verba.

[10]) Raum. I, 233 et 234 — cf. n. 1.

[11]) Raum. I. 234.

[12]) Calles pag. 395.

[13]) Otto Fris. Gest. Frid. c. 22. — Berth. Zwif. chron. pag. 114 „... propter superbiam a cunctis abominatus." — Anonym. Farrago hist. rer. Ratisp. pag. 503 ad a. 1156 „Henricus dux Bavariae cognomine superbus..." — Jaffé Loth. pag. 201—203. Lud. X 134, 135 contra opprobrium superbiae Henricum defendit „quippe qui tum demum superbiae accusatus fuerit, quum eum a regno amovere voluerint," et Call. pag. 395 „crediderim facile invidiae fuisse Henrico tantam apud socerum imperatorem gratiam." Sed perspicue Otto Fris. l. c. „pro nota superbiae ... in expeditione Italica" etc. Quae superbia post mortem imperatoris apertiorem se manifestabat „cum (Otto Fris. chron. VII c. 24) dux Henricus, consanguineis imperatoris Henrici in summa tenuitate positis, auctoritate soceri sui imperatoris propriisque viribus in tantum excrevisset, ut omnes despiciens, nulli pro regno supplicare dignaretur." — Quo etiam attinet Berth. Zwif. chron. pag. 114 ad h. a. „quum regnum inconsulte affectaret" (sc. Henr.) — Ceterum ejus virtutibus obtrectandum non est, quas etiam Otto Fris. chron. VII c. 22 testificatur: „qui (sc. Henric.) tunc praecipui et nominis et dignitates in regno fuit. — Burch. Bib. pag. 7 et Alberic. ad h. a. eadem fere verba. — Ann. Marb. pag. 159 (Ragaw. hist. Frid. II, 38) ad h. a. „... fuit vir per omnia laudabilis, tam animi quam generis, nobilitate insignis" (sc. Henr.) — Docen's Anz. l. c. (de Henrico dicitur).

„Ze Bayern waz ein hertzog — Er waz ein Fûrst lubsam
Der waz in michelm lob, — Vil willich waren im sein man,

Sic sese res Henrici habebant talemque se ipse praebebat, ut prae ceteris cum securitate quadam imperium petere, neque magis quidquam sibi expectandum existimare videretur, quam generalem conventum principum, ubi regalia praesentaret[14]).

Altera domus principalis eo tempore in Germania potentissima ducum Stauffensium erat. Cujus gentis duo fratres tum florebant, Fridericus dux major natu et Conradus ejus frater. Quos Agnete sorore Henrici V natos jure non dubitato regiae dignitatis nonnisi injusta Lotharii impetu ac vi impeditos esse ii contendebant, qui Henrico adversabantur[15]), et si quidem Fridericus jam contra Lotharium regnum se adepturum esse pro certo habuerat et Conradus quondam nomen regium sibi usurpaverat[16]), etiam tum ambo fratres firmiter statuerunt[17]), ut contra quemvis principem, excepto nullo, id defenderent. Contra Henricum, quem in multorum offensionem incurrisse supra diximus, ii qui partes Stauffenses sequebantur, asserebant etiam haec: Conradum lenitate ac mansuetudine animi non minus quam virtute militari omnium observantiam et fiduciam sibi conciliasse; adversus sedem quoque Romanam, quam Henricus possessor praediorum Mathildae marchionissae afficeret cura, Conradum adhibuisse reverentiam usitatam itemque adversus clericos[18]).

Sic, eligendi novi regis tempore adveniente, potentissimae duae partes sibi oppositae erant, quarum neutra ob salutem patriae ad animum aequum propensa videbatur, sicut illo tempore principibus summa erant, quae ipsorum utilitatem spectarent[19]).

Er waz der getriwisten ainer — Der pei den ziten lebe
Als ich juch wil beschaiden — O wez er guter tugent het!"

[14]) Burch. Bib. pag. 6, 7 (regalia reservavit), „ut in generali conventu principum ... praesentaret." — Eadem fere verba ap. Anonym. Weing. pag. 33 § 2.

[15]) Raum. I, 234. — (Tertius frater erat Henricus cf. chron. reg. s. Pant. pag. 931 ad 1142).

[16]) Ann. Peg. et Bos. pag. 257 ad h. a. et Chron. Sampetr. p. 215 ad h. a. „qui (Conr.) antea quoque regium nomen sibi usurpaverat." — Ann. Saxo p. 776 ad h. a. „(Conr.) quondam usurpator regii nominis." — Chron. reg. S. Pantal. pag. 928 ad 1128 „(Lothar) Rex nativitatem Wirciburg celebrat, ubi rumore percellitur, scilicet Conradum ... regium sibi nomen usurpasse. Hac de causa Magabertus et Moguntiuus episcopus et alii plures eundem Conradum excommunicaverunt et postea eadem excommunicatio a domino Apostolico confirmatur.

[17]) Lud. X pag. 139.

[18]) cf. Lud. X pag. 140, Pfist. Gscht. d. T. II pag. 336. —

[19]) Lud. X pag. 131.

Richenza[20]) imperatrix principes ad conventum in diem 2 Febr. Quedlinburgum convocavit[21]). Quem conventum imperatricem aut ob Henricum generum ducem Saxoniae confirmandum aut etiam ut animos principum ad eundem regem eligendum praepararet atque inclinaret indixisse veri simile est[22]). Sed priusquam Quedlinburgum convenerunt, res quaedam ducibus Stauffensibus prospera acta est. Nam Adalbertus marchio Saxoniae, Henrici ducis consobrinus[23]) qui statim post mortem Lotharii repugnabat, ne Henricus dux Saxoniae fieret[24]), Quedlinburgum urbem manu armata invasit, apparatus imperatricis sustulit, portas clausit, regionem illam rapinis incendiisque vastavit, itaque conventum impedivit[25]). Quae sive instigantibus ducibus Stauffensibus facta sunt sive stimulante Adalbertum sola ira, certe effecerunt, ut animis minuerentur sectatores Henrici, augerentur, qui in partibus Stauffensium erant. Quare fieri non potuit, ut Henrici consilium regni adipiscendi proveheretur.

Ne ad comitia eligendi regis, qui turbatis rebus remedium afferret, statim conveniretur, ratio nonnulla suberat. Vacabat Moguntina sedes Adalberto imperii Germaniae archicancellario rebus humanis anno superiore exempto: vacabant Basileensis, Frisigensis, Merseburgensis ecclesiae: Coloniensis electus nuper Arnoldus pallio adhuc carebat. Duces Sueviae Fridericus et Conradus ad paranda sibi amicorum subsidia moram et otium exoptabant[26]). Sed pergamus.

---

20) Mir. I. p. 279 n. 1 Richenza, Richilda, Richildis, Richila. (Alberic.)

21) Ann. Saxo pag. 776 ad h. a. „Imperatrix Richenza indixit conventum principum in festo purificationis Sancte Marie apud Quidebingeburh.“ — Lud. X pag. 141 „principum“ intelligit „der sächsischen Fürsten“ sed causa non est, cur ita intelligatur.

22) Jaffé pag. 2 n. 4. „Wahrscheinlich, um die Anerkennung Heinrichs als Herzog von Sachsen zu betreiben.“ — Lud. l. c. „ohne Zweifel um sie für ihren Sohn Heinrich zu gewinnen.“ — Richenza non tam ducis quam imperatoris Lotharii vidua conventum indixit; itaque non solum, ut Henricus dux Saxoniae confirmaretur, sed etiam ut rex fieret, videtur studuisse.

23) Adalbertus et Henricus nepotes Magni ducis Saxonum erant. Magni filiae Elica et Wulfhilde. Utrum Elica, mater Adalberti, an Wulfhilde, mater Henrici major natu fuerit, incertum est, Helmoldo Elicam, Ann. Saxone Wulfhildam priore loco nominante. Jaffé pag. 1.

24) Helm. p. 131. Statim enim ut corpus defuncti Caesaris perlatum est in Saxoniam .... ortae sunt seditiones inter Henricum regis generum et Adalbertum marchionem contendentium propter ducatum Saxoniae.

25) Ann. Saxo pag. 776 ad h. a. Qui conventus impeditus est ab Adalberone marchioni et suis commanipularibus, tollentibus omne servicium imperatricis ad hec preparatum, et introitum urbis ei prohibentibus, et plurima dampna rapina quam incendiis ei inferentibus.

26) Call. pag. 394.

Communicato consilio principes regni decreverunt, ut conventus generalis die 22 Maji Moguntiae fieret, ubi communiter regem eligerent, quem numen divinum vellet[27]). Adversarius Henrici gravissimus Albero[28]) archiepiscopus Trevirensis in regno plurimum tum valebat[29]). Quod reputans Conradus[30]), quum in expeditione Italica magna cum industria atque obsequio Alberonis amicitiam sibi acquisivisset[31]), assecutus est, ut ille omne studium pro imperio adipiscendo ad se conferret[32]). Nam mittebat Albero huc et illuc ministros, qui epi-

---

27) Ann. Saxo pag. 776 ad h. a. Ann. Magdeb. pag. 186 ad h. a. „Communicato consilio principes regni decreverunt generalem conventum fieri Moguntie in pentecosten, ut communiter ibi regno preficerent, quemcunque ad hoc deus preordinasset.“ — Otto Fris. chron. VII c. 22 ad h. a. „Conventus generalis principum Moguntiae in proxima pentecoste indicitur — Alberic. ad h. a. „conventus generalis . . . condicitur.“ — Burch. Bib. pag. 6, 7, ad h. a. „qui (scil. conventus) in proximo festo pentecostes Moguntiae condictus fuerat.“ — Nec qui principes hoc consilium communicaverint, nec ubi, nec quo die communicaverint, fontes tradunt. Jaffé pag. 1 „in einer gemeinsamen Berathung.“ Potuitne fieri ut hoc consilium per litteras communicaretur, sicut etiam postea multi principes ad electionem Friderici I convocati sunt? De omnibus regni principibus, qui hoc consilium communicaverint, cogitandum non est. Nam Ann. Magd. l. c. „Interea (sc. dum primates conventum indicunt) quidam sequestrantes se ab aliis.“ Liquebit etiam postea, nec duces Stauffenses nec eorum sectatores hujus consilii participes fuisse. Lud. X pag. 140, 141 opinatur: „ab imperatrice vidua conventum hunc esse indictum, agitantibns iis principibus qui cum Lothario ex Italia rediisent.“ — principes regni? Fit hic ut saepe etiam per posteriores electiones, ut chronographi et annalistae, ubi factionem aliquam sectantes, de principibus hujus factionis loquuntur, dicant „principes“ vel „principes regni,“ tamquam si omnes principes regni fuerint, reticeant autem de iis, qui contra dixerunt. Sic Sigeb. cont. Gembl. pag. 386 „Post mortem regis Lotharii, non ferentes principes Theutonici regni etc.;“ ead. de re Balder. pag. 252 „Albero .... eum (sc. Conradum) in regnum sublimari procuravit contradicentibus fere omnibus regni principibus.“ — Pentecoste die 22 Maji. cf. Jaffé pag. 1.

28) Hic enim Albero de Montrueil, natione Francogallus, postquam acie ferroque cum Lotharii fratre et genero dimicavit, auctore papa archiepiscopus Trevirensis factus est. cf. Jaffé pag. 3.

29) Balder. pag. 252 ad 1137 „quia penes eum (sc. Alberonem) regni videbat (sc. Conradus) robur et mentem existere.“ — Nam legatus Germaniae ab Innocentio II papa anno 1136 declaratus erat. cf. bull. Innocentio II pap. ap. Luenig spic. Trev. part. I mae cont. pag. 210. — Jaffé pag. 3 „Ejus (Alberonis) auctoritas tanta erat, quod Adalberto archiep. Moguntino priore anno mortuo, archiepiscopatus Mog. vacabat.“

30) cf. n. 29 — Gest. archiepp. Trevir. pag. 109 — Lud. X pag. 578 n. 13.

31) Balder. l. c. „Conradus ... Alberoni ... sese familiaritate magna et servitio adjunxit (sc. in expeditione Italica).“

32) Balder. l. c. „et tanta conjuncti sunt amicicia, quod post obitum

scopos et principes ad hoc, quod ipse sequeretur, sibi conciliarent et effecit magna industria ut Fridericus dux, Conradus frater ejus, Bochus[33]) episcopus Wormatiensis, Arnulfus[34]) archiepiscopus Coloniensis ad colloquium Confluentiam convenirent[35]). Ad quod colloquium[36]) etiam Thietwinus[37]) cardinalis[38]) episcopus Portuensis, apostolicae sedis legatus[39]) natione Germanus[40]) isque quidem Suevus[41]) venit[42]), cui papa veritus[43]), ne Henricus imperium adeptus praedia Mathildae marchionissae non redderet, neve invaderet civitatem Neapo-

---

Lotharii imperatoris domnus Albero elaborans ... eum (sc. Conradum) in regnum sublimari ... (sc. procuravit)."

[33]) Burchardus de Ahorn. Call. pag. 396, ibid. „Bacus" — „Bugo" Toln. pag. 291—292 — „Bucco" Jaffé pag. 5.

[34]) „Arnoldus" Call. pag. 396—397.

[35]) Gest. Alberon. metr. pag. 238 ad 1138.

„Praeterea missis hic circumque ministris
„Pontifices et primores collegit in unum
„Quo fluit in Renum Mosella decus fluviorum."

Balder. l. c. „Effecit enim sua magna industria, quod dux Fridericus frater Conradi regis et Bochus Wangionum episcopus cum ipso Conrado ad collognium Confluentiam convenerunt. Ad quod collognium Coloniensis archiepiscopus Arnulfus occurrit."

[36]) Toln. pag. 291, 292 errat Moguntinum archiepiscopum in hoc colloquio interfuisse commemorans. Nam Adalbertus archiep. Mog. 23 die Junii 1138 mortuus erat. cf. Jaffé pag. 9. Ejus vero successorem Adalbertum Saraepontanum post electionem Conradi demum sedem Mogunt. adeptum esse infra videbimus. Item interfuisse Toln. memorat „Embrichonem Herbipolensem aliosque episcopos" sed ne hunc quidem interfuisse constat, quamquam postea in iis est, qui regem festis diebus paschalibus Coloniae morantem honoris causa comitati sunt.

[37]) Ann. Magd. pag. 186 ad h. a. „Thietwino" — Ann. S. Jacob. Leod. pag. 640 ad h. a. „Tieguinus" — Otto Fris. chron. VII c. 22 „Theoduinus" — Wilh. Tyr. XVII c. 1 „Theorinus" — Dipl. Conr. III ap. Mir. I pag. 387 „Gidwinus." — Alter Dyetwinus, qui eodem tempore fuit abbas Ensdorffensis, memoratur in Jac. Parfuesz monachi chron. pag. 583 ad 1136 „... Dyetwinus ein frumer heiliger Man von der congregation ausz dem kloster zu Munchperg. und in dem sexten jar seiner regirung zoch er gen Rom, und pracht Freybrieff von Coelestino dem Babst, und starb darnach als man zalt MC und 44 jar." Tertius Dietwinus fuit episcopus Leodiensis, qui jam decessit a. 1075. cf. ejus dipl. ap. Mir. I pag. 352, ubi etiam alius Dietwinus clericus testis subscriptus est. —

[38]) Ann. Magd. pag. 186 ad h. a. „Thietwino, cardinali ... episcopo." — Otto Fris. chron. VII c. 22 „Theoduino, episcopo cardinali.« —

[39]) Wilh. Tyr. XVII c. 1 „... episc. Portuensis, apost. sedis legatus." Otto Fris. l. c. „Theoduino ... S. Romanae eccl. legato." —

[40]) Wilh. Tyr. l. c. „Dominus Theorinus, natione Theutonicus."

[41]) Chron. Lueneb. pag. 1382 „De Cardinal Didwin — he was van Swaven."

[42]) Ann. Magd. pag. 186 ad h. a. „mediante Thietwino" (sc. in hoc conventu) — Otto Fris. chron. VII c. 22 (Alberic. ad h. a.) „praesente Theoduino (sc. in hoc conventu)."

[43]) Lud. X pag. 133 — Raum. I pag. 234 seq.

litanam, praeceperat, ut electionem secundum Conradum moderaretur[44]). Praeter eos interfuerunt principes Lotharingiae, quorum nomina postea referentur[45]). Hi quidem episcopi et principes conventum ab Alberone factum potius, quam illum, qui Moguntiam indictus fuerat, secuti sunt ob metum, ne in curia Moguntina Henricus potentia sua imperium adipisceretur[46]). Quae quum ita sint, reputatione non opus est, qua reperiamus, quo vitio ratio regum eligendorum in regno Germanico tum laboraverit. Est enim in promptu, certam normam disciplinamve legitimam, qua omnes, quibus usitatum jus eligendi erat, constringerentur, non fuisse; morem vero atque consuetudinem eligendi, quae principes a majoribus accepta observabant, ad avertendam discordiam principiorum, quibus jus illud exsequerentur, non suppeditavisse. 7 die Martii principes et episcopi, quos dixi, in ecclesia loci cujusdam, cui apud Confluentiam sito nomen Confluentiae minoris (parvae sive Lützecoblenz) erat, congregantur[47]). Faventibus archiepiscopis Alberone Trevirensi et Arnoldo Coloniensi[48]), Thietwino epi-

---

[44]) Raum. l. c.

[45]) Ann. Brunw. pag. 726 ad h. a. „a principibus Lotharingie in regem eligitur. (sc. Conr. in hoc conventu)." Quos principes Loth. verisimile est eosdem fuisse, qui postea cum Conrado diebus paschalibus Coloniae fuerunt.

[46]) Otto Fris. chron. VII, c. 22 „timentes, ne forte in generali curia Henricus dux Noricorum per potentiam praevaleret." — Raum. I pag. 235 adjungit: „dass man weder mit Gewalt, noch mit List noch mit Güte Heinrich abweisen würde, sah man ein; nur eine geschickte Verbindung aller dieser Mittel könne zum Ziele führen." — Lud. X pag. 236 consilium, Henricus rex ne eligeretur, ascribit principum cupiditati studioque propriae utilitatis eorumque consuetudini discordandi atque bellandi. — Anonym. Weing. pag. 33 § 2.

[47]) Ann. Magd. pag. 186 ad h. a. „... in medio quadragesimae apud Confluentium oppidum (Conradium ... elegerunt)" — Ann. Brunw. pag. 726 ad h. a. „incipiente quadragesima (Conradus) apud Confluentiam (in regem eligitur)." — Ann. Spir. pag. 81 „eligitur (sc. Conr.) in Confluencia" — Chron. reg. S. Pant. pag. 930 ad h. a. — Chron. Sampetr. pag. 215 ad h. a. — Ann. Pegav. et Bos. pag. 257 ad h. a. „indictione prima (Conradus) .... „media quadragesima apud Confluentiam (in regem eligitur)," ubi Pertz suppl. 22 die Febr. — Otto Fris. chron. VII c. 22 „circa mediam quadragesimam" — (Alberic. ad h. a.) — Burch. Bib. pag. 7. — Ann. S. Disib. pag. 25 ad h. a. „Conventus principum apud Confluentiam factus est in cathedra S. Petri" (ascriptum est a Waitzio „haec non de d. 7 Mart. facta esse videntur"), ubi Conradum regem constituunt („die 22. Febr." suppl. Waitz). — Ann. Saxo pag. 776 ad h. a. „Confluentie feria 2 dominice „Oculi mei" (sc. eligitur) h. e. 6 die Martii. — Quam accuratissime ex his aliisque argumentis, quae repetere longum est, diem et locum hujus electionis, ut in textu dicti sunt „in cathedra S. Petri" non esse de die, sed de ecclesia dictum docens constituit Jaffé, p. 5 n. 16.

[48]) Ann. Brunw. pag. 726 ad h. a. „faventibus archiepiscopis" etc. eadem verba.

scopo cardinali summi pontificis ac totius populi Romani urbiumque Italiae assensum promittente[49]) Conradus ab omnibus, qui aderant, rex exposcitur[50]) atque post multa consilia[51]) eligitur.

Mirum est, non potius Fridericum fratrem Conradi natu majorem eundemque ducem Sueviae regem electum esse[52]).

Conradus igitur electus mox ad basilicam Aquisgranensem[53]), ubi ungeretur atque coronaretur, prosequente Alberone

---

49) Otto Fris. chron. VII c. 22.

50) Otto Fris. Gest. Frid. I c. 22.

51) Balder. Gest. Alber. pag. 252 ad 1137 (1138) „et tandem post multa consilia domnus Albero archiep. Conradum in regem elevavit.“ Haec verba „post multa consilia“ discordiam inter electores fuisse significare videntur. Sed haec multa consilia etiam intelligi possunt de difficultatibus, quas principes hanc electionem secutaras esse reputaverint, ceterum de persona Conradi eligendi concordantes. Et sic quidem interpretandum est, ne Baldericus („post multa consilia ... Conradum elevavit“) contra Ottonem Fris. („ab omnibus ... exposcitur“) dicat. — „Albero Conradum elevavit“ summatim dictum est idque intelligendum „opera Alberonis factum est, ut elevaretur.“ cf. Gest. Alber. metr. pag. 238 ad h. a. „Conradum nomine regem,
Constituitque suis hunc rebus honorificavit
Et sumptu (sc. Albero) ...“

52) Lud. X pag. 140 de hac re: „Alter quidem ducum Sueviae eligendus erat, non Fridericus major natu erat destinatus, sed Conradus minor; quod cur sit factum difficile dictu est. Fortasse Fridericus certam possessionem ducatus procellis, quae circa solium Germanicum fremere solerent, anteponebat, fortasse injucundi illi casus, qui in electione Lotharii Moguntiae evenerant, ex ejus memoria nondum erant elapsi, fortasse conquassa erat ejus valetudo, fortasse nomen regium sibi omittendum esse arbitrabatur pro Conrado fratre, quippe qui dux apellaretur ducatum non obtinens, fortasse etiam Conradi splendore victus esse videbatur.

53) Toln. pag. 179 „Palatium Aquisgranense a Carolo Magno primitus exstructum ab eodem imperatore in caput et regni Francici sedem constitutum est peculiari constitutione, quod innuit hymnus sacer divo Carolo dicatus:

„Urbs Aquensis, urbs regalis
Sedes regni principalis
Prima regum curia etc.“

Tolneri „palatium“ basilica est. Nam haec fuit basilica S. Mariae. cf. Caroli M. serm. de fund. Aquisgr. Basil. Mar. ap. Mir. I pag. 15 „... Illic vero Domno Apostolico et omnibus praedictis nobilibus et egregiis personis congregatis, merui ab omnibus obtinere prae nimia devotione, quam erga ipsum locum et matrem domini nostri Jesu Christi habebam ut in templo eodem sedes regia locaretur, et locus regalis et caput Galliae trans Alpes haberetur ac in ipsa sede reges successores et heredes regni initiarentur, et sic initiati jure dehinc imperatoriam Majestatem Romae sine ulla contradictione assequerentur. Confirmatum et sancitum est hoc a Domno Leone Romano pontifice et a me Carolo, Romanorum imperatore Augusto et primo auctore hujus templi et loci, quatenus ratum et inconvulsum hoc statutum et decretum nostrum maneat, et hic sedes regni trans Alpes habeatur sitque caput omnium civitatum

ceterisque principibus contendit[54]). De instante unctione inter archiepiscopos Trevirensem et Coloniensem dissensio coorta est; nam uterque eorum eam sui juris esse defendit[55]); utrius vero proprium fuerit ungere non satis liquet[56]). Certe episcopis Coloniensi et Trevirensi mos ungendi usque ad hoc tempus communis fuerat. Hac autem dissensione videtur factum esse ut tempore urgente periculoque a partibus adversariorum imminente neuter eorum, sed Thietwinus legatus utriusque cooperatione adjutus cooperantibus etiam ceteris episcopis Conradum electum ungeret[57]) atque coronaret 13 die

---

et provinciarum Galliae.“ (Mir. n. 3 adscribit „Leo III papa ex Italia in Galliam ad Carolum M. bis, nimirum a. 799 et 804 venit. Nisi fallor consecratio Basilicae Aquisgr. ad prius iter est referenda“). Recte Toln. ad ea, quae antea scripsit, adjungit: „Ita etiam posterioribus seculis Aquisgranum semper imperii sedes fuit etc.“

54) Otto Fris. chron. VII c. 22 (Alberic. ad h. a.) „... Qui mox ad palatium Aquis veniens“ — Gest. Alber. metr. pag. 238 ad h. a. „Mox hunc ad Aquis castrum properantem (Conradum) prosequitur (Albero). — Balder. Gest. Alber. pag. 252 „et Aquisgrani deducens (sc. Albero Conradum).“ — Aquisgranum omnes principes et episcopos qui in electione interfuerant, Conradum comitatos esse consentaneum est putare (cf. Balder. l. c. „[Albero] cum magna deducens multitudine“) quamquam, ut mox videbimus, archiepiscopi Coloniensis et Trevirensis et episcopus cardinalis soli nominantur.

55) Gest. Alber. metr. pag. 238 ad h. a. „Mox hunc (Conradum)
Ut, ceu mos veterum constat, benediceret illum
Prosequitur (Albero), sed non quoquam procedere quivit
Hac re vella suum, quia praesul Coloniensis
Hoc interrupit, proprii dicens fore juris
Ungeret ut regem.“

56) Scriptor Gestorum Alber. metr. vindicat jus ugendi archiepiscopo Trevirensi, l. c. pergens: „Cujus si quis rationem
Considerare velit, citius cognoscere quibit,
Quod rationis inops nunquam subsistere possit.
Claret enim cunctis, quoniam primas Treberensis
Omnibus ecclesiis. Gallorum Germaniaeque
Praesideat jure, quo summa negotia quaeque
Disponat ..“ cf. serm. Caroli M. n. 53,

Otto Fris. chron. VII c. 22 Coloniensi: „nam Coloniensis qui id facere debuerat (sc. ungere).“ — Ab hoc etiam posterae coronationes fiunt.

57) Otto Fris. chron. VII c. 22 „a predicto cardinale (nam Coloniensis .... noviter intronisatus pallio carebat) cooperantibus Coloniensi et Trevirensi episcopis in regem ungitur.“ Thietwinus cardinalis igitur, quia archiepiscopus Col. carebat pallio, unxit, et sic quidem Jaffé pag. 6. Sed si ea causa Coloniensem hac functione impedivit, non opus fuit cardinalem legatum hoc munere fungi, sed archiep. Trevirensis id facere potuit. Ann. S. Jac. Leod. pag. 640 ad 1137 (obiit ... Lothar.) „Conradus unctus in regem Aquisgrani ... a Cardinali Romano Tieguino volente et jubente domno papa Innocentio“ sic intelligo: papa voluit et jussit Conradum regem ungi, non Henricum, minime vero sic: „Thietwinum ungere, non alium.“ Accedit hoc, quod archiepiscopum Coloniensem unctionem sui juris esse defendentem (n. 55) invenimus. Inopia igitur pallii minus vide-

Martii[58]). — Sic haec Conradi electio unius factionis agitatione atque industria perfecta[59]) etiam contra multorum principum voluntatem fuit, sed, sive alii Henricum, qui odio erat, omissum esse gaudebant, sive alii, quibus repentina electio Conradi de improviso intervenerat, metu animi sententiam aut mutaverant aut dicere non audebant[60]), reapse se non opponebant, Henrico tantum, principibus Saxoniae aliisque, qui in electione non interfuerant, regem non legitime sed per surreptionem electum fuisse contra dicentibus[61]). In plurimis autem imperii partibus haec electio paucis diebus rata haberi coepta est. Jam 3 die

---

tur probanda esse causa, cur Thietwinus ipse unxerit, quam quae supra dicta est, dissensio.

Ann. Saxo pag. 776 ad h. a. „..successitque provectus (Conr.) in regnum Romanorum a Thietwino cardinali episcopo consecratus."

58) Otto Fris. Gest. Frid. c. 22 „ad regnum levatus in palatio Aquis coronatur (sc. Conr.)." Hunc locum Jaffé pag. 6 n. 19 affert contra Lud. X pag. 142 et 579 „Eine Krönung hat wahrscheinlich nicht stattgefunden" — sed Henricus habebat coronam. cf. n. 4. — Giul. mim. di Mil.V pag. 538 „Il nostro calendario di san Giorgio sotto il mese di Marzo ha ... „III Idus 1138 fuit coronatus Chunradus electus rex, et coronatus ad Asiam;" quem locum Jaffé Not. S. Georg. Mediol. pag. 386 ad 1138 ita emendat: „3 id. Mart. 1138 fuit Churadus electus rex et coronatus ad Asiam (h. e. Aquisgrani)." — Ann. S. Disib. pag. 25 ad h. a. „Qui (Conr.) deinde mediae quadragesimae dominica a Dietwino cardinale Aquisgrani consecratus est." Waitz suppl. „13 Martii" — Ann. Brunw. pag. 726 „media quadragesima Aquis ungitur." Pertz suppl. Mart. 13." — Ann. Rod. pag. 713 „unctus est in regem Conradus Aquisgrani." — Ann. S. Petr. et Aquens. pag. 28 (Ann. Aquens. pag. 685) ad h. a. „Conradus 4 Idus Martii in media quadragesima unctus est in regem Aquisgrani." IIII error pro III. cf. Jaffé pag. 6 n. 17. .

59) Ann. Magdeb. pag. 186 ad h. a. „primates quidam sequestrantes se ab aliis ... Conradum ... privatum sibi regem elegerunt." — Chron. Mont. ser. „a quibusdam principibus eligitur (sc. Conr.) in regem." — Ann. Saxo pag. 776 ad h. a. „Factione Adalberonis Trev. archiepiscopi et quorundam principum .. (sc. elegitur) ... Ad hujus negocii honorem (sc. coronationis) multorum magnorum principum consensus est minime requisitus." — Vita Chron. I archiep. Salzb. pag. 228 „cum Chunradus paucorum favore dignitatis regiae honorem rapuisset." — Plane factiosum in modum Sigeb. cont. Gembl. pag. 386 (Alberic) ad h. a. „... non ferentes principes Teutonici regni, aliquem extraneum a stirpe regia sibi dominari, regem constituerunt sibi Cunradum..."

60) Jaffé pag. 7 — Lud. X pag. 577, 578 — Raum. I pag. 236.

61) Ann. Saxo pag. 776 ad h. a. „Cujus electioni (sc. Conradi) a nonnullis, presertim Saxonie principibus contradicitur." — Auct. inc. ad h. a. „contra quorundam principum voluntatem in regno successit." — Ann. Spir. pag. 81 ad h. a. „Henrico duce et Saxonibus qui non interfuerant, eum (Conradum) electum per subreptionem calumpniantibus." — Otto Fris. chron. VII c. 22. Burch. Bib. pag. 8, Alberic. ad h. a. „At Saxones et dux Henricus aliique, qui electioni non interfuerant, regem non legitime sed per subreptionem electum calumniabantur." — Annonym. Weing. pag. 34 § 3. — Etiam Conradus archiepiscopus Salzburg. (cf. Vita Conr. I archiep. Salzb. pag. 228) „ceperat exaltationi illius (i. e.

Apr. Conradum[62]) Coloniae pascham celebrantem praeter Thietwinum cardinalem legatum, Arnoldum Coloniensem, Alberonem Trevirensem archiepiscopos honoris causa comitati sunt principes hi[63]): Albero Leodiensis, Andreas Trajectensis, Stephanus Metensis, Nicolaus Cameracensis, Wernerus Monasteriensis, Udo Osnaburgensis, Embricho Wirceburgensis, Rudolphus Halberstatensis episcopi, Wibaldus abbas Stabulensis, Arnoldus capellarius Aquensis praepositus, Walramus dux[64]), Henricus filius ejus, Wilhelmus comes palatinus, Henricus comes de Zutphen, Conradus comes de Loen[65]), Arnoldus comes de Cleve, Adolphus comes de Monte, Godefridus comes Namurcensis, Otto comes de Rinece, Adolphus comes de Saffenberch; nobiles hi: Theodorus et frater ejus Rothgerus de Duria[66]), Godefridus de Ascha, Godefridus de la Rotza, Henricus ejus frater, Conradus de Haghen, Henricus de Hirstelhusen, Arnoldus de Los[67]), Gozwinus de Falchenberch aliique; qui omnes in partibus suis manerent, Conradus curabat[68]). Sedis Moguntinae auctoritatem, si conciliaretur, Conrado magno usui fore satis intelligebant[69]). Itaque Fridericus dux Moguntiam, quae tunc pastore suo orbata vacabat[70]), venit

---

Conradi) subsistere (leg. »obsistere« cf. Jaffé pag. 9 n. 28) pertinaciter." — Nimium dicis Balder. Gest. Alber. pag. 252 „contradicentibus fere omnibus regni principibus (sc. Conradus sublimatus est)." — Raum. I pag. 236 dicit, principibus Saxonicis consilium fuisse, ut vi resisterent.

62) Otto Fris. chron. VII c. 22 „proximam deinde pascham Coloniae celebrans." — Dodech. (hoc nomen e numero chronographorum exstinguendum est, cf. Potth.) ap. Jaffé pag. 7 n. 22 „Rex pascha Coloniae celebravit" (h. e. 3 die April. Jaffé l. c.)

63) Nomina horum principum subscripta sunt quinque diplomatibus diebus 8, 9, 10, 11 April. (11 die April. duo facta sunt) Coloniae a Conr. factis, quorum 1) ap. Lacombl. I pag. 216, 217 — 2) ap. Mir. I pag. 526 — 3) ibid. pag. 386, 387 — 4) ap. Toln. hist. pal. cod. dipl. pag. 40 — 5) ap. Mart. et Dur. Coll. II pag. 103 — 105. — Animadvertandum est, non omnia nomina simul sub unoquoque diplomate legi, sed alia, quae sub aliis non sint, sub aliis esse et versa vice. Quo crediderim, alios principes honore regi praestito et fide, Colonia reversos esse, aliis ab eam rem advenientibus. Major autem pars diutius apud regem morati sunt ad eas, quae instabant, curias comitaturi.

64) Walramus Lotharingiae inferioris dux et Henricus filius ejus in ducatu Limburgensi successor. cf. Mir. I pag. 386.

65) Mir. I pag. 527 n. 4. „i. e. comes Lossensis, Gallice Los, Flandrice Loen."

66) Sic in diplomate die 9. Apr. dat.; in altero 11 die Apr. dat. ap. Toln. h. p. cod. dipl. pag. 40 legitur „Theodoricus judex Aquensis, Rogerius frater ejus."

67) cf. n. 65.

68) cf. Jaffé pag. 9.

69) cf. Jaffé l. c.

70) Otto Fris. chron. VII c. 22. „(Moguntiam) quae tunc forre pastore carabat."

omnesque tam clericos quam laicos ad hoc, ut Albertum juniorem, uxoris suae, quam secundo acceperat, fratrem eligerent, induxit, principe ad hoc corroborandum accito[71]). Quo facto Conradus ipse tertia hebdomade post dies paschales Moguntiam contendit, ibique magno cum favore cleri et populi susceptus[72]) perfecit, ut Albertus per electionem cleri ac populi archiepiscopus constitueretur[73]). Non dubium est, quin is omni modo studuerit, ut ab omnibus Conradus rex comprobaretur. Dum haec geruntur, ii qui Henrici partes sequebantur, subitis et improvisis duorum fortium constantiumque adversariorum actionibus perculsi in dies magis animo deficiunt. Conradus marchio Missniae[74]), Fridericus palatinus comes, Sifridus comes de Bomeneburg, Rudolphus comes de Stade, commoti a Richenza imperatrice impetum in Adalbertum marchionem fecerant, sed apud locum quendam, qui Mirimberg dicebatur, ab eo necopinantes pulsi eorumque complures capti sunt[75]). Quamquam Henricus dux se omissum graviter ferens obsistendum esse arbitrabatur[76]), et frustra id quidem, quod brevi tempore ab omnibus amicis desertus est. Nam principes, qui cum Conrado rege erant[77]), statuerunt, ut die pentecostes, id est 22 die Maji conventus imperii Bambergae esset, quo Henricus dux ad red-

---

[71]) Otto Fris. Gest. Frid. I c. 22.

[72]) Dodech. (ap. Jaffé pag. 9, n. 27) ad 1138: „Inde (Colonia) ascendens 3 hebdomade post Pascha (Jaffé ibid. h. e. inter dies 17 et 22 April.) Moguntiae cum magno favore cleri et populi susceptus.“ —

[73]) Adalbertus comes de Sarae Ponte (Jaffé pag. 11) fratruelis Adalberti archiepiscopi mortui (Otto Fris. chron. VII c. 22) cf. n. 71 et n. 36. — Otto Fris. chron. VII c. 22. Proximum dehinc (post unctionem). . . . Moguntiam adiit, ibique Albertum . . . . per electionem cleri et populi archiepiscopum constituit (Conradus). — Dodech. (ap. Jaffé pag. 9 n. 27) ad h. a. „Ibi (Moguntiae) Adalbertus communi omnium consensu data a rege praeceptione episcopus designatus est.“

[74]) Raum. I, 236.

[75]) Ann. Saxo pag. 776 ad h. a. „Siquidem animis accensis Conradus marchio, Fridericus palatinus comes. Sifridus comes de Boumeneburh, Rudolfus comes de Stadhen, instigante eos imperatrice Richenza, condixerunt ut pariter venientes adversus Adalbertum marchionem dimicarent. Anticipavit ille manum inimicam in loco qui dicitur Mirimberh et inopinate victor existens, plures adversariorum captitavit.“ — Ann. Palid. pag. 80 ad h. a. —

[76]) Sigeb. contin. Gembl. pag. 386 ad h. a. „Conrado (videl. legendum „Conradum“) regno sublimatum et se alienatum graviter ferebat, et quoscunque poterat, ab ejus amicitia et fidelitate avertebat (sc. Henricus dux).“

[77]) Moguntiae Conradum idem principes comitati sunt, qui Coloniae; praeter eos frater Fridericus dux (qui Moguntiae Adalberti novi archiepiscopi constituendi negotiis occupatus Conradum videtur mansisse). cf. Jaffé pag. 9 n. 27. —

denda regalia et omnes principes ad confirmandam regis electionem convenirent[78]). Silentio hoc loco non videtur praetereundum esse, nondum Conradum regem ipsum, sed, qui eum elegissent, hunc conventum indixisse; ex quo efficitur, ut neque Conradus, nec qui eum elegerant, electionem omnibus ratam jam esse habendam putarent, nisi omnes regni principes consentirent. Principes igitur ad hunc conventum provocatos, si non advenissent, quis est, qui non intelligat, nihil aliud fecisse, quam Conradum ejusque sectatores conventum illum Moguntiam indictum evitantes?

Sed ex frequenti numero eorum qui Bambergam convenerunt, perspicuum est, quanta Conradi auctoritas jam tum fuerit. Et in eo sollenni conventu Bambergensi ab omnibus his qui aderant, principibus Conradus rex confirmatus est[79]). Affuerunt autem principes hi[80]): Arnoldus Coloniensis, Adalbertus Moguntinus[81]), Adalbero Trevirensis, Adalbero Bremensis archiepiscopi; Otto Bambergensis, Henricus Ratisbonensis[82]), Sigefridus Spirensis, Bucco Wormatiensis, Andreas Trajectensis, Wernerus Monasteriensis, Udo Osnaburgensis, Bernhardus Padernbornensis, Gebehardus Eichstaedensis, Udo Cicensis episcopi;

---

[78]) Chron. Can. Wissegr. contin. Cosm. pag. 144 ad h. a. „Omnes principes et quique primates ac familiares regni sui statuerunt, quatenus in sancta sollemnitate penthecostes, quod erat 11 Kal. Junii, curiam in concilium Bamberc in civitate facerent, et ut omnes ad regnum suum spectantes ibidem in predicto tempore conveniant, et ut electio sua pariter corroboretur ab omnibus et insignia regalia coram cunctis a Ratisponense duce (sc. Henrico) reciperentur.“ — Otto Fris. chron. VII c. 22 (Alberic. ad h. a.) „quibus omnibus (sc. qui in electione non interfuerant) in proxima pentecoste generalis curia Babenberg (Burch. Bib. pag. 8 „in Baumberg“) indicitur.“ — Anonym. Weing. pag. 34, § 3. —

[79]) Otto Fris. chron. VII c. 23. „Conradus . . . in pentecoste curiam in praefata civitate (sc. Bambergae), ut condictum erat, cum maximo regni fastigio et maximo conventu principum habuit.“ — Burch. Bib. pag. 8. — Alberic. ad h. a. — Chron. Sampetr. pag. 215 ad h. a. „Ad proximam pentecosten ad curiam Babenberg (Ann. Peg. et Bos. pag. 257 ad h. a. „in Babenberg“) habitam a quam plurimis regni principibus confirmatur.“

[80]) Nec Call. pag. 397, nec Jaffé pag. 10 et ibid. n. 32 plenum eorum numerum afferunt. Hi vero, qui supra nominantur, inveniuntur in diplomate a Conr. III his diebus Bambergae facto, ap. Herrg. gen. gent. Habsb. II pag. 158. 159.

[81]) His diebus festis Adalbertus Bambergae consecratus est a venerabili Ottone episcopo Bambergensi. cf. Lud. X, pag. 146. — Consecratio haec fuit 29 die Maji, et verisimile est, etiam tum Conradum regem affuisse. cf. Jaffé pag. 11 n. 35.

[82]) Henrico duci cum Henrico episcopo Ratisb. jam antea inimicitiae fuerant, et dux episcopum aut impugnaverat aut puniverat sicut alios. cf. Lud. l. c.

Wilhelmus comes palatinus, Udalricus dux Bohemiae[83]), Fridericus dux Sueviae[84]), Conradus dux Burgundiae[85]); Adalbertus marchio de Stade[86]), Leopoldus marchio Austriae[87]), Engelbertus marchio Istriae[88]), Udalricus dux Carinthiae, Conradus marchio de Wettin[89]), Gebehardus comes Sulzbacensis[90]), Poppo comes Andecensis[91]); nobiles Conradus de Hagen, Rogerus et frater ejus Anselmus de Diura, Henricus de Hirscheshusen, aliique. Etiam Richenza imperatrix advenerat[92]). Henricus vero dux insignia regalia servans et pauci quidam principes aberant[93]). Quanti possessio insignium regalium aestimata sit[94]), cognoscas ex eo, quod Henricus dux ea Norimbergae inclusa obstinate retinebat[95]), et Conradus rex sibi non quiescendum putabat,

---

83) Sobieslaus sive ut a Germanis frequentius appellabatur, Udalricus. Call. pag. 397. — Can. Wissegr. cont. Cosm. pag. 144 ad h. a. „Noster dux Sobezlaus intra jam dictum festum (sc. pentecosten) adit eum (Conradum) receptusque magno cum honore per aliquot dies ibidem stetit.“ — Impetravit hic a rege, ut filius Wladislaus ei in ducatu succederet. cf. anon. chron. Bohem. pag. 1702 ad h. a.

84) In dipl. „Fridericus dux.“ Hunc ducem Sueviae fuisse, demonstrat Herrg. II pag. 133 n. 7.

85) Conradus dux de Zaeringen. cf. Vita Conr. I archiep. Salzb. pag. 228. — (Postea, quum ducatus Saxoniae Alberto datus esset, pro Henrico sub arma cepit, sed a Friderico. Friderici ducis filio ad officium redactus est. cf. Raum. I, pag. 237.)

86) In dipl. „Adalbertus marchio;“ dipl. 342, pag. 282 „marchio Albertus de Staden.“

87) In dipl. „Lupoldus marchio;“ dipl. 342 pag. 282 „marcham Austriae cum omni jure suo et omnibus beneficiis, quae quondam marchio Luipoldus habebat.“

88) In dipl. „Engelbertus marchio;“ dipl. 342 pag. 282 „marchio Engelbertus de Istria.“

89) Chron. Missn. pag. 76 „Conradus alter filius Tymonis de Wyttin“ et ibid. ad 1126 „idem Conradus interventu reginae Richenzae, cujus erat cognatus, marchiam Missnensem dono et beneficio regis Lotharii obtinuit.“

90) Comes Sulzb. princeps erat. cf. Ficker n. 58.

91) In dipl. „de Anedesse“ - Ficker n. 144 „Istrien oder Andechs;“ ibid. „Andes.“

92) Otto Fris. chron. VII c. 23 „ubi (Bambergae) omnes Saxones (sc. principes Saxonici) simul cum viduata imperatrice Richenza venientes ultro se suae ditioni subdidere.“

93) Otto Fris. l. c. (Alberic. ad h. a.) „Solus ex principibus dux Henricus regalia servans aberat.“ — Anonym. Weing. pag. 34 § 4 „Henricus dux etc. .. aberat.“ — Chron. canon. Wissegr. cont. Cosm. pag. 144 ad h. a. „Cumque ut statutum erat, cuncti simul convenirent, Ratisponensis dux (i. e. Henricus) inesse conventui nec ipse voluit, nec regalia insignia reddidit.“ — Call. pag. 397 „duo ex archiepiscopis, Salzburgensis et Magdeburgensis affuisse non videntur.“ — Lud. X pag. 146 „Nur Heinrich selbst blieb aus und mit ihm die meisten geistlichen und weltlichen Fürsten Baierns.“

94) cf. Burch. Bib. pag. 109 n. 66.

95) Ann. Palid. pag. 80 „regalia, que Henricus ... sub se habuit

donec ea reciperet. Norimbergam rex obsessam expugnavit[96]), sed neque Henricum sub potestatem suam redegit, nec insignia imperialia. Itaque rex et eos[97]), qui etiamtum Henrico adhaerebant, in diem festum S. Johannis (i. e. diem 26 Junii) et Henricum ipsum in diem festum S. Petri et Pauli (i. e. diem 29 Junii) Ratisbonam vocavit, ubi fidem darent, et Henricus insignia redderet[98]). Quo ii principes omnes venerunt et ipse Conradus venerabilis archiepiscopus Salzburgensis[99]), qui, quum Conradus dux de Zaeringen ab eo postularet, ut regi juramentum faceret, id non fecit, sed tantum professus est, non opus esse, a se quidquam regem cavere; qua professione rex contentus fuit[100]). Ratisbonam etiam Henricus dux animo fructus venit ibique insignia regalia, quae Conradus rex vi recipere non potuerat, multis illectus promissis regi tradidit[101]). Jam

---

apud castrum Noremberg.“ — Anon. Sax. hist. pag. 106 ad h. a. „castrum Nurenberch, ubi dux Henricus imperialia clauserat.“

96) Ann. Palid. l. c. „eum (sc. Henricum) obsidens (sc. Conradus) requisivit (sc. regalia).“ — Anon. Sax. hist. l. c. „(Conradus vallavit et) obtinuit (sc. Nurenberch).“

97) Complures fuisse, qui etiamtum Henricum sequerentur, perspicuum est ex epistola Conradi III regis ad abbatem Tegernseensem: „Satis mirari non valemus et vehementer nostra regia turbata est Serenitas, quod curiae praeteritae apud Baveberg una cum aliis principibus interesse neglexisti, et hoc, quod jure imperii ibidem nobis facere debueras, adhuc quasi inconsulte distulisti. Quapropter volumus et mandando firmiter praecipimus, quatenus omni posthabita occasione, in festo Sancti Johannis in curia Ratisponensi obviam nobis venire studeas et debitum servitii ibidem plenarii persolvas etc.“ — Lud. X pag. 580 n. 26.

98) Otto Fris. chron. VII c. 23 „ad quae reddenda (sc. regalia) in festivitate apostolorum Petri et Pauli dies ei (sc. Henrico) praefigitur Ratisponae.“ — Alberic. ad h. a. — Anonym. Weing. pag. 34 § 4. — Burch. Bib. pag. 8. — In unum eundemque diem Henricum et ejus amicos Ratisbonam a rege vocatos esse, ut vult Jaffé pag. 12, non est, cur credamus.

99) Lud. X pag. 147.

100) Vita Conr. I archiep. Salzb. pag. 228 „Considerans archiepiscopus, si ipse ... exaltationi illius (sc. Conradi regis) subsistere (leg. „obsistere“) voluisset, quanta inter illum et ducem Bavariae Henricum ... per universum regnum mala fuerant, eorumque caput et causa ipse esse argueretur, cum regi Ratisponae occurrisset, duci de Zaeringen ... dicenti sibi coram rege cunctisque principibus, quod homagium domino suo regi facere deberet, respondit intrepide: »Vide domine dux, quia si plaustrum essetis, boves praecurrere non dubitaretis.« Unde rex, ne archiepiscopus indignatione motus in verbum asperum amplius erumperet, et negotium omne turbaret, aversa manu os ducis compressit et ab omni responsione compescuit, dicens, se ab archiepiscopo nihil prorsus expetere, nisi bonam voluntatem ipsius.“

101) Otto Fris. chron. VII c. 23 „Quo (sc. Ratisbonam) veniens (sc. Henricus) regalia quidem multis illectus promissis reddidit.“ (Ead. verba ap. Anonym. Weing. pag. 34 § 4). Anon. Sax. hist. pag. 106 ad h. a. „insignia imperii absque sponte ducis abstraxit (sc. Conradus).“ — Ann.

pergat narrare quae restant, anonymus Weingartensis[102]: »... sed ad ea, que ulterius inter eos tractanda erant, dies ei (sc. Henrico) in brevi post Auguste describitur. Quo ex condicto adsumptis fidelibus suis et milite non modico venit, ac super Licum ex opposito civitatis Rege civitatem tenente, castra posuit. Internuntii autem ac mediatores ad hanc causam prenominati per triduum huc ac illuc sepius transmeantes nihil profecerunt. Rex enim non aliter fieri compositionem voluit, nisi dux quedam, que a Lothario imperatore susceperat, resignaret[103]. Quod cum Dux renuisset ac se potius dubie sorti supponi elegisset, colloquium infecto negotio pacis dissolutum est. Rex ergo metuens aliquid in se machinari, dum peracta cena cubitum se ire simularet abductis clam equitaturis cum paucis nulli de Principibus valendicens exiuit, ac militem suum reliquum in magno disorimine relinquens Herbipolim pervenit. Ibi judicio quorundam Principum Dux proscribitur, Ducatusque ei abjudicatur. Dux ergo in subsequenti die post egressum Regis de Augusta suis prout poterat prope dispositis, non multis comitatus[104]) in Saxoniam properat. At Rex ducatum Saxonie Alberto Marchioni consobrino ejusdem Ducis; Noricum vero post in Bauuariam veniens Leopoldo, filio Leopoldi Marchionis fratri suo ex parte matris tradidit.«

II. Electio Henrici[1]) Conrado III nati

anno 1147.

De hac electione fontes jejuna quaedam tantum referunt. Conradus rex[2]) expeditionem sacram Hierosolyma facturus[3])

Saxo pag. 776 ad h. a. „Conradus ... regalia ... callide ad quisivit. — Chron. reg. S. Pant. pag. 931 ad h. a.

[102]) Anon. Weing. pag. 34 seqq.

[103]) Ann. Saxo pag. 776 ad h. a. „eundem (sc. Henricum) ducatu Saxonum privare voluit.“ (sc. Conradus). — Otto Fris. chron. VII c. 23.

[104]) Otto Fris. chron. VII c. 23 „ut ... quator tantum comitatus sociis in Saxoniam veniret (sc. Henricus).“

[1]) Chron. reg. S. Pantal. pag. 932 ad 1145 „quem (sc. Henricum) alii Beringerum ex nomine avi ejus vocant.“ — (Hic Beringerus comes Sulzbacensis fuit et ejus filia Gertrudis Conradi III regis conjux.) — Henricus puer decem annorum fuit. Ann. Aquens. pag. 686 ad h. a.; Chron. reg. S. Pant. l. c. [„Natus est regi (Conrado) filius nomine Heinricus ... Deinde natus est Fridericus“] confundit annum, quo Henricus nascitur cum eo, quo Fridericus frater ejus minor natu nascitur. — Ann. S. Petri Erphesfurd. pag. 20 ad h. a. „(Henricus) puer 10 annorum.“

[2]) Reges Germanici dignitatem imperatoris Romani coronatione Romana nondum adepti inde a temporibus Lotharii reges Romanorum vocabantur. cf. Lud. X pag. 216. — Philipps pag. 266.

[3]) Ann. Corb. p. 16 „noster rex Conradus ... Hierosolimam iturus (obtinuit ... quatinus ... eligeretur etc.).“ - Alberic. pag. 321 ad 1152

Francofordiam ad conventum generalem principes convocavit[4]), quorum magnus numerus ex omnibus partibus regni convenit[5]). Ad quem conventum generalem rex et principes eo consilio accesserunt, ut totius regni pacem firmarent et novum regem ei praeficerent, ne per tempus expeditionis sacrae, quum ipse Conradus abesset, ulla perturbatio moveretur[6]). Et principes, postquam magna cum attentione et diligentia disputaverunt, ordinataque et firmata communi per omnes regni partes solida pace[7]), Conrado obsecuti[8]) Henricum filium regem et successorem unanimi consensu elegerunt; cui electioni totius regni acclamatione assensum est[10]). Conradi regis auctoritate et ratione expeditionis sacrae habita videtur factum esse, ut haec electio, nullo contradicente perficeretur. Conradus rex igitur id, quod videtur magnopere optavisse, assecutus, papam de electione jam perfecta sicuti de coronatione instante, his quas saepius memoravimus litteris certiorem fecit. Itaque Henricus rex electus in basilica Aquisgranensi Conrado patre jubente 30 die Martis

---

rationem habens anni, quo Henricus electus est „qui (Conradus) ... cum esset iturus Hierosolymam (sc. filium suum sublimaverat).“

[4]) Otto Fris. Gest. Frid. I c. 43 „Conradus principes convocans, in oppido ... Franconefurt generalem curiam celebrat.“ Epist. Conr. III ad Eug. pap. pag. 204 (ad h. a.) „ubi (Frankenvort sc.) generalem curiam habuimus“ (antecedit: „in frequenti principum conventu“).

[5]) Ann. Corb. pag. 16 „Multi enim principum ex omni pene orbis plaga confluxerant (sc. Frankenvorde). — Epist. Conr. III l. c. „in frequenti principum conventu apud Frankenvort ... (tractavimus).“

[6]) Conradum III regem papa admonuerat, ut ordinationi regni provideret. cf. Conr. III epist. l. c. „super qua (sc. ordinatione regni) nos paterna sollicitudine monere et exhortari curastis.“ — Ann. Corb. pag. 16 „(multi principum confluxerant), ut oportunitas sane deposcebat quippe cum rex novus eligendus erat.“ — Sigeb. cont. Gembl. pag. 389 ad h. a. „ne post decessum suum (sc. Conradi III regis) regnum absque principe remaneret et aliqua rerum perturbatio moveretur (sc. Conradus regem sublimat).“

[7]) Epist. Conr. III ad Eug. pag. l. c. „Siquidem ... magna cum attentione et diligentia ... studiose et efficaciter ... tractavimus ordinataque et firmata communi per omnes regni nostri partes solida pace.“

[8]) Ann. Corb. l. c. „(Conradus) ... obtinuit a principibus (sc. quatinus eligeretur filius).“

[9]) Otto Fris. Gest. Frid. I cap. 43 „ibique (sc. Frankonefurt) filio suo (sc. filio Conradi) ... per electionem principum rege constituto.“ — Ann. Corb. l. c. „(Conradus obtinuit) quatinus eis (sc. principibus) eligeretur in regem Heinricus suus filius.“ — Epist. Conr. III l. c. „filium nostrum Heinricum in regem et sceptri nostri successorem unanimi principum convenientia (sc. elegerunt).“ — Ad diem hujus electionis exquirendum fontes nihil praebent. Sed videtur ea non multo ante coronationem fuisse; Conradus rex enim in epist. ad Eug. III pap. l. c. „mediante, inquit, hac quadragesima in palatio Aquisgrani coronare (sc. filium nostrum) ... decrevimus.“

[10]) Epist. Conr. III ad Eug. III pap. l. c. „et alacri totius regni acclamatione electum (sc. coronare decrevimus).“

unctus atque coronatus est[11]). Domo regum Franconicorum funeribus vacua facta. Henricus hic primus patre viro rege rex creatus est. Cujus potestas regia talis fuit, quae imperii capesseret partem, dum pater viveret[12]), imperium teneret commissum, dum abesset[13]), summam imperii amplecteretur, quum esset mortuus[14]). Rex autem puer in tutelam Henrici archiepiscopi Moguntini, qui ejus loco res publicas administraret, datus[15]) et anno 1152 ante Conradi patris obitum mortuus est[16]).

II. Electio Friderici I
anno 1152.

Conradus rex 16 die Februarii 1152 vita cessit[1]) Bambergae[2]) conventum principum habiturus, ubi de expeditione

---

[11]) cf. n. 9 „mediante hac quadragesima etc.“ — Sigeb. cont. Gembl. pag. 389 ad h. a. „Conradus rex Henricum filium suum Aquisgrani in regem sublimat.“ — Otto Fris. Gest. Frid. I. c. 43 „in palatio Aquis eum dominica medianae quadragesimae regem inungi ac coronari jubens (sc. Conradus rex Henricum filium).“ Sine dubio coronatio in basilica fuit, quo Henricus ut postea Fridericus I ex palatio deductus erat. Verisimile est secundum posteras coronationes, etiam hanc ab archiepiscopo Coloniensi perfectam esse. Ann. Aquens. pag. 686 ad h. a. (Ann. S. Petr. Erphesf. pag. 20 ad h. a.) „Henricus . . . in media quadragesima scilicet 3 Kal. Aprilis unctus est in regem Aquisgrani.“ — Idem mendum in ann. Col. max. pag. 763 et in chron. reg. S. Pant. pag. 934 unctionem Henrici anno 1149 apponentibus.

[12]) Otto Fris. Gest. Frid. I c. 43 „regem (sc. Henricum filium) inungi ac coronari jubens (sc. Conradus) regni participem legit.“

[13]) Ann. Palid. pag. 86 ad 1152 (ubi res praeteritis annis gestae iterum breviter perstringuntur) „filio suo Heinrico committens (sc. Conradus) reguum iter aggressus est.“ (sc. Hierosolyma.)

[14]) Epist. Conr. III ad Eug. III pap. l. c. „filium Heinricum in regem et sceptri nostri successorem (sc. coronare decrevimus).“

[15]) cf. Lud. X pag. 248.

[16]) Chron. reg. S. Pant. pag. 934 ad 1149 „qui (sc. Henricus) non multo post obiit.“ — Ann. Marbac. pag. 160 ad 1152 „nam frater ejus (Friderici I) Heinricus ante patris obitum rex creatus obierat.“

[1]) Otto Fris. Gest. Frid. I c. 63 (cf. II c. 1), Ann. S. Disib. pag. 28 ad h. a., Ann. Peg. et Bos. pag. 259 ad h. a. „15 Kal. Mart. i. e. 16 dies Febr., nam annus 1152 intercalaris fuit. cf. Weidenb. calend. pag. 90. Sic hi fontes consentiunt cum epistolis Wibaldi et Friderici et cum chron. Babenb. cf. n. 19. (Annum mortis, non diem indicant: Ann. Rod. pag. 722, Sigeb. cont. Praemonstr. pag. 455, Robert. de Mont. cron. pag. 499, Otto Fris. chron. c. ult., Ann. Magd. pag. 191, Sigeb. cont. Aquicinct. pag. 407 etc.). — Chron. Babenb. pag. 4 ad h. a. „16 Kal. Mart.“ hoc loco errat; cf. chron. Babenb. sub n. 19 ad hanc elect. — Ann. Col. max. pag. 764 ad h. a. „9 Kal. Mart.“ ubi Pertz emendat „15 Febr.“ — Chron. reg. S. Pant. pag. 934 „11 Kal. Mart.“

[2]) Ann. Col. max. l. c. Conradus apud Babinberg infirmitate decubans etc. — Otto Fris. Gest. Frid. II c. 1 „decedente ab hac luce . . . in civitate Babenbergensi rege Conrado III.“

Romana ageretur[3]). Qui diem mortis sibi adesse sentiens Friderico[4]) duci, filio fratris sui, insignia regalia tradidit, Fridericum[5]) filiolum commendavit simul, ut cum principibus pro imperio sibi acquirendo loqueretur, suadens[6]). Prudenter enim res publicas Conradus tum perspiciens credebat fore, si potius Friderico nepoti„ duci fortissimo, meritissimo, omnique laude dignissimo[7]) summum imperium traditum esset, quam filiolo, quem ipse principes electuros esse desperabat, ut filio regnum, regno filius securius servaretur[8]).

---

[3]) Lud. X pag. 294. — Perspicuum est, Conradum coronationis causa Romam profecturum fuisse, nam imperator Romanus usque ad illud tempus non erat. Ann. Rod. pag. 722 ad h. a. „Mortuus est Conradus rex Romanorum non consecratus in augustum.“ — Sigeb. cont. Praemonstr. pag. 455 ad h. a. „Conradus . . . obiit . . . qui benedictionem imperialem non habuit.“ — Rob. de Mont. cron. pag. 499 ad h. a. „(Conradus) nunquam fuit Rome coronatus, unde non recte vocatur imperator, sed rex Alemannorum.“ — Jam anno 1128 Conradus etiamtum dux, quum titulum regis assumpsisset, in Italiam profectus ab Anselmo archiepiscopo Mediolanensi coronatus erat. cf. Pag. ad Baron. XVIII pag. 416.

[4]) Huic cognomen Barbarossae fuit. Ann. Peg. et Bos. pag. 259. Pertz sub n. c. „manu saeculi XV additur in codice I „Fridericus primus nepos Conradi secundi (nempe „tertii“) . . . Barbarussa vocatus est.“ — Pag. ad Baron. IX pag. 59 n. III „. . . dictus Aenobarbus sive Barbarossa (sc. Fridericus) a barba rufa.“

[5]) Fridericus Conradi filius minor natu fuit. cf. n. 1. — Alberic. pag. 321 ad h. a. „qui (sc. Fridericus hic) dicebatur: „Infans de Rodeburc.“ — Helm. pag. 218 „Fretherici, nobilissimi principis de Radenburg.“ — Ficker n. 125 „den Titel eines Herzogs von Rotenburg (Ostfranken) finden wir nur noch bis 1191 bei K. Fridrichs Sohne Konrad, welcher . . . den Fürsten angehörte . . . nach dem Abgange (des Fürsten) kein entsprechendes Fürstenthum.“

[6]) Ann. Col. max. pag. 764 ad h. a. (Chron. reg. S. Pantal. pag. 934 ad 1151 [vidl. 1152] „[Conradus] . . . diem mortis sibi adesse sentiens duci Friderico, filio fratris sui regalia tradidit, filium suum Fridericum adhuc parvulum commendavit et ut pro regno sibi acquirendo principibus loqueretur suasit).“ (Itaque non probandum est Ludeni illud X pag. 293 . . . ob er [Konrad] seinen Tod noch nicht für nahe gehalten . . . ist ungewiss.) — Otto Fris. Gest. Frid. I c. 63 „(Conradus) regalia duci Friderico, cum unico suo item Friderico commendans.“ — Burch. Bib. pag. 9 „Conradus fratrueli suo sedem regni reliquit, statuens cum eodem, et filio suo, cum ad annos pervenerit, ducatum Sueviae concederet.“ (cf. Raum. II pag. 2.)

[7]) De Friderici ducis virtutibus et meritis cf. Raum. II pag. 2, 3.

[8]) Otto Fris. Gest. Frid. I c. 63. „Erat (sc. Conradus) tamquam vir prudens de filio suo adhuc parvulo, ne in regem sublimaretur, quasi desperatus: idcirco et privatae et rei publicae melius profuturum judicabat, si is potius qui fratris sui filius erat, ob multa virtutum suorum clara facinora, sibi succederet.“ Conrado igitur non solum rei publicae salus cordi fuit, sed etiam privatae. Quaenam vero est ista res privata, nisi dignitas regia familiae retinenda atque servanda? Hanc in Fridericum nepotem, virum fortissimum translatam Conradus Fridericum filiolum aliquando eo facilius adepturum esse sperare poterat, quod Friderico nepoti fidem habebat. Quo spectat etiam chron. Halberst. pag. 58 ad h. a. „Qui

Quae divulgata morte Conradi facta sint, Wibaldum regis mortui archicancellarium, Ottonem Frisingensem ipsumque Fridericum, de cujus electione agitur, narrare opportunum videtur. Wibaldus[9]: »Enavigavimus[10]) ita summa cum celeritate Coloniam, ut tanto esset Coloniensis[11]) ad providendum rei publicae cautior ac liberior, quanto esset inter suos ab omni turbulentae conventionis securior[12]). Coeperunt deinde summi principum sese per nuncios et litteras de habendo inter se colloquio pro regni ordinatione sollicitare, sicque factum est, ut cum pauci admodum crederentur venturi, maxima tamen optimatum multitudo 17 die post obitum praedicti magnifici principis in oppidum Frankonevort convenerit.« Fridericus[13]): »... Itaque (sc. Conrado mortuo) universi principes regni tamquam divino

(Conradus) cum filium suum puerum adhuc regem futurum et insignia imperialia domini Friderici ducis Suevie ... fidei commendasset.“ — Probandum quidem est illud Ludeni X pag. 293. „Man findet nicht, dass Konrad etwas gethan habe, seinen zweiten Sohn Fridrich zu seinem Nachfolger zu erheben,“ sit etiam, id quod Ludenus ibidem opinatur in ceteris „dass Konrad geglaubt habe, sein Neffe Fridrich ... werde nicht geneigt sein, zurückzutreten;“ jure illius temporis continetur nullo id quod statuit chron. Halberst. l. c. „qui (sc. Fridericus dux Sueviae) proximus ejus (sc. Conradi regis) heres fuit,“ quoniam item potest quaeri, cur Fridericus anno 1147 Henrico parvulo regnum concesserit, cur illo quem dixi anno nec Fridericus filius nec pater ejus dux, qui demum mense Aprili 1147 obiit (cf. Raum. II pag. 2) proximus heres fuerit. Reliquum igitur est ut opinemur haec: 1) Propter aetatem Friderici parvuli factum est, ut Conradus eum et omitteret et principes electuros esse desperaret. Quae opinio offendere non potest, si consideres, aliam aetatem Henrici anno 1147 electi, aliam Friderici fratris anno 1152 fuisse; nam ille tum decem annos natus instante expeditione sacra electus est, hic, patre morituro septem annos natus non aptus videbatur, qui imperio Germanico pacem atque tranquillitatem sustineret. 2) Sive profecti ad conventum atque jam nacti Bambergam principes nonnulli Conradum moriturum circumsteterunt, coram quibus insignia imperialia Friderico duci nepoti tradiderit, traditionique ipse verba commendaticia adjunxerit (cf. Lud. X pag. 294), sive praesente etiamtum principe nullo, insignia tamquam documentum regiae voluntatis suae tradidit, alia eaque gravior res Conradum commovere poterat, ut filium omitteret, principibus Fridericum nepotem regem commendaret; et haec quidem res erat Friderici nepotis origo et Stauffensis et Guelfica. Quae, quanti momenti ad ejus electionem ipsam fuerit, brevi videbimus.

[9]) Wib. epist. ad Eug. III pap. pag. 514, 515.

[10]) Sc. „Spira,“ ubi Wibaldus Roma rediens de Conradi morte audivit. —

[11]) Sc. „archiepiscopus.“

[12]) Wibaldus hoc loco archiepiscopo Coloniensi vindicat jus earum rerum incipiendarum, quae mortuo rege ad electionem novi pertineant. In his ne perturbatio fiat, Wibaldum videmus properare. Sine dubio is cogitat de perturbationibus, quae Lothario imperatore mortuo evenerant.

[13]) Epist. Frid. imper. ad Eug. III pap. ap. Mart. et Dur. coll. II n. 345.

spiritu suscitati 17 die post depositionem ejus in oppidum Frankonevort tam per se ipsos, quam per responsales honoratos convenerunt.« Otto Frisingensis[14]): »... 3 Nonas Martii, id est, tertia feria post »Oculi mei« in oppido Frankonefurt de tam immensa transalpini regni latitudine universum (mirum dictu) principum robur, non sine quibusdam ex Italia baronibus tamquam in unum corpus coadunari potuit. Ubi cum de eligendo principe primates consultarent (nam id juris Romani imperii apex, videlicet non per sanguinis propaginem sed per principum electionem reges creare, sibi tamquam ex singulari vendicat praerogativa) tandem ab omnibus Fridericus Suevorum dux, Friderici ducis filius petitur, cunctorumque favore in regem sublimatur.« Wibaldus[15]): »Itaque concurrentibus omnium votis, immo ut verius dictum sit, praecurrere certantibus singulorum desideriis, electus est cum summo universorum assensu is, qui nunc rerum potitur, Fridericus dux antea Sueviae.« Quantopere autem iis temporibus princeps, qui eligi volebat, inconsulte ac temere factis aut dictis offenderit, documento est et multorum principum odium Henrici Superbi et hoc, quod archiepiscopus Coloniensis hunc Fridericum apud archiepiscopum Moguntinum de eo, quod familiaribus nonnullis haec verba fecisse dicebatur: »se imperium obtenturum esse, etiamsi omnes reniterentur« excusandum, idque quod fama dispersisset, non verum esse (ut videtur) demonstrandum putavit[16]). Sed is quidem consensus, qua ratione effectus sit, jam pergat narrare Otto Frisingensis[17]): »Hujus consultationis summa, in illamque personam tam unanimis assensus ratio, ut recolo, haec fuit: Duae in Romano orbe apud Galliae Germaniaeve fines famosae familiae hactenus fuere, una Henricorum de Gueibelinga, alia Guelforum de Altdorfio; altera imperatores, altera magnos duces producere solita. Istae ut inter viros magnos gloriaeque avidos assolet fieri, frequenter sese invicem aemulantes, reipublicae quietem multotiens perturbarunt. Nutu vero dei ut creditur paci populi sui in posterum providentis, sub Henrico quinto

[14]) Otto Fris. Gest. Frid. II c. 1. — Verba illa Wibaldi „cum pauci admodum crederentur venturi“ explicat Otto dicens: „mirum dictu (sc. universum principum robur etc. in unum corpus coadunari jam 3 Non. Mart. potuisse).“ — cf. Lud. X pag. 294 — Pfist. II pag. 359 „die Fürsten waren schon in Bereitschaft, den ausgeschriebenen Reichstag zu Bamberg zu besuchen, und so kamen sie nach Konrad's III Tode sofort mit Gefolge nach Frankfurt zusammen.“ — Summorum principum quisque litteris aut nuntio de regis morte certior factus quam celerrime ceteros principes certiores facere potuerat; itaque conventus tantopere accelerari potuit.

[15]) Wib. epist. ad Eug. III pap. l. c.

[16]) Raum. II pag. 4.

[17]) Otto Fris. Gest. Frid. II c. 2.

factum est ut Fridericus dux pater hujus, qui de altera, id est, de regum familia descenderat, de altera Henrici scilicet Noricorum ducis filiam in uxorem acciperet, ex eaque Fridericum, qui impraesentiarum est et regnat, generaret. Principes ergo non solum industriam ac virtutem jam saepe dicti juvenis, sed etiam hoc, quod utriusque sanguinis consors tamquam angularis lapis utrorumque horum parietum dissidentiam unire posset, considerantes, caput regni eum constituere adjudicaverunt: plurimum rei publicae profuturum praecogitantes, si tam gravis et diutina inter maximos imperii viros, ob privatum emolumentum simultas hac demum occasione, deo cooperante sopiretur. Ita non regis Conradi zelo, sed universitatis (ut dictum est) boni intuitu, hunc Fridericum, ejus filio item Friderico adhuc parvulo praeponere maluerunt. Hac consideratione et ordine electio Friderici celebrata est.« De consensu principum ipse Fridericus[18]; »... absque ullius morae interjecto spatio, eadem die[19]) (sc. qua principes convenerant) cum ingenti divinitus data concordia, ipsi principes et ceteri proceres cum totius populi favore et alacritate nos in regni fastigium elegerunt[20]).«

[18]) Epist. Frid. imper. ad Eug. III pap. l. c.

[19]) Wib. „17 die post obitum (Conradi)“ item Frid. „17 die post depositionem (Conradi)“ iterum Frid. „eadem die (sc. qua convenerant)“ h. e. 4 die Martii. — Chron. Babenberg. pag. 4 ad 1153 (vidl. 1152) ... Fridericus successit 4 Non. ejusdem (sc. Martii). — (Toln. pag. 301 „eligitur 4 Martii“ — Lud. X pag. 293.) — Otto Fris. „3 Non. Mart. (i. e. 5 die Martii) id est tertia feria post „Oculi mei“ sibi contradicit, nam dominica „Oculi“ anno 1152 fuit 29 dies Febr. (cf. Weidenb. calend. pag. 90 et pag. 26); ergo tertia feria post fuit 3 dies Mart. Non recte Duemge diss. II in Ligur. „sexto decimo die fere ab ejus (Conr.) ... obitu electus est;“ nec Lud. l. c. „am 18. Tage etc.“ Etiam Raum. II pag. 4 „am 5. März (cf. Raum. l. c. n. 4)“ errat. — Praeter eos electionem hanc breviter perstringunt, annum, non diem indicantes: Otto Fris. chron. VII c. ult. — Ann. Marbac. pag. 159, 160 ad h. a. — Chron. reg. S. Pant. pag. 935 ad 1151 (vidl. 1152). — Ann. Magdeb. pag. 191 ad h. a. — Ann. Peg. et Bos. pag. 259 ad h. a. — Ann. Col. max. pag. 764 ad h. a. — Sigeb. cont. Aquic. pag. 407 ad h. a. — Ann. Isigr. maj. pag. 313 ad h. a. — Chron. Mont. Ser. pag. 24 ad h. a. cf. etiam Auct. inc.

[20]) a) Lud. X pag. 294, 295. „Jene Fürsten, welche aus Bamberg heranzogen ... waren ohne Zweifel schon von Fridrich vor ihrer Ankunft gewonnen worden. Durch diese, die den Kern der Versammlung gebildet haben mögen, wurden alsdann auch wohl leicht diejenigen, die noch später eintrafen, auf Fridrichs Seite gebracht.“ Haec opinio levis est, quod ne uno quidem fontium loco juvatur. Lud. ibid. „Daher ist es wahrscheinlich, dass es in der Versammlung der Fürsten zu einer eigentlichen Abstimmung gar nicht gekommen, sondern dass der Herzog Fridrich alsbald von der ganzen Versammlung begrüsst worden sei als König der Deutschen.“ Sed non credo, verba Ottonis Fris. „ubi (sc. Francofordiae) cum de eligendo principe primates consultarent, tandem ab omnibus Fridericus ... petitur cunctorumque favore sublimatur“ quemquam sic posse interpretari. Magis etiam miror, Ludenum l. c. n. 10 haec verba

Jam reliquum est de hac electione animadvertendum unum, idque eo gravius, quod non solum omnes, qui nostris tempo-

Ottonis ita intelligere: „Otto Fris. denke wahrscheinlich an die Besprechungen der Fürsten, die vor dem 4. März stattfanden.“ Si principes 4 die Martii in conventu Francofordiensi Otto Fris., qui videtur interfuisse, consultasse testatur, quanam ratione verisimile esse possit, Ottonem Fris. de consultationibus cogitare, quae ante hunc diem fuerint? Ne illud quidem Burchardi Bib. pag. 9 ad 1152 „Fridericus ... regnum accepit, magis ex delegatione patrui sui quam ex delectione principum“ Ludeni opinionem juvat, primum quod patruus moriens ipse Friderico suasit, ut cum principibus loqueretur (cf. n. 6), tum, quod Burchardi illud electionem omnino non excludit.

b. De primatibus Italicis, qui nonnunquam in electionibus regum Germanicorum interfuerunt, Murat. Antiqtt. Ital. diss. III (tom. I pag. 93 seq.), postquam auctoritate Arnulphi scriptoris Mediolanensis, Eribertum archiepiscopum Mediolanensem ad eligendum Conradum (sc. II), ex diplomate quodam Henrici II (cf. pag. 92) Obertum II marchionem ad Henricum II eligendum in Germaniam venisse ostendit, memorat haec: „Jam patet, Italicis quoque Principibus ad Comitia et Electionem Regis olim fuisse jus et locum non secus atque Germanicis. Qui vero Germaniae ac Italiae Rex decernebatur, is simul designabatur et futurus erat Romanorum Imperator, eo fere pacto, quo nostris temporibus quicunque Rex Romanorum proclamatur, certum jus consequitur ad Imperialis etiam Dignitatis titulum et culmen: nisi quod olim ut nomen et usus Augustalis Dignitatis rite assumeretur, opus erat coronatione Romana. Atque haec omnia a summis Pontificibus, ad quos praecipue pertinebat Imperatorum electio, censendum est fuisse concessa aut tacito consensu, aut expressis pactis, aut ita suadente metu, quum nulla plerumque obsistendi ratio foret Regi Italiam intranti, et Italici Regni potentiam et coronam adepto. Ceterum mihi veri videtur simile, non tam cito excidisse jus Italicorum Principum in Electione Regum. (Affert nunc Muratorius ex Ottonis Fris. Gest. Frid. II c. 1, Friderici primi electioni non defuisse quosdam Italiae optimates et pergit.) Iuvat insuper adferre quae habet Amandus a Secretis ipsius Friderici I in Libro de primis Actis a Friderico in imperio peractis ... »Anno 1152 (ita ille scribit) multi illustres heroes ex Lombardia, Tuscia, Janensi et aliis Italiae dominiis ... convenerunt in urbe Francofurtensi.« Tum subdit, omnes (sc. primates Italicos et principes Germanicos) concordibus votis in Electionem Friderici I consensisse. Quare jam videas ... Italicis (sc. Primatibus) quoque jus idem fuisse, ac propterea nimium nutare, quae Hermannus Conringius, vir alioqui singularis eruditionis, habet in Libro de Finib. Imper. German. Lib. 2 cap. 19, § 28 »Huc facit (sunt ejus verba) quod Italia omnem paene potestatem Caesaris aut Regis constituendi, adeoque ejus, qui et Italis omnibus imperandi jus habeat uni Germaniae citra omnem controversiam nunquam non concesserit, ex quo ab Ottone fuit devicta.« Alios mores progressu temporis Germania, alios Italia hoc in negotio cepit. Nam apud Italos crescente potentia Urbium, quae jam Reipublicae formam assumserant, omnes fere Episcopi, et plerique saeculares Principes suis ditionibus, hoc est dominatione Civitatum et Castrorum spoliati sunt, atque in ea perturbatione rerum jus etiam amiserunt conveniendi ad Regum et Caesarum Electionem. In Germania vero, ut faciliori via eadem Electio perageretur, sensim suffragiorum jus redactum est ad septem praecipuos amplissimi illius Regni, sive Reipublicae Proceres, qui nunc Electores dicuntur;“ — Raum. II pag. 4 n. 3 „Die Italiener waren weder berufen, noch bevollmächtigt,

ribus de ea scripserunt, fugit, sed etiam a praecipuis scriptoribus Friderici I. aequalibus praetermissum est. Quum de hac electione coepimus scribere, statuimus, Conradum regem Friderico nepoti insignia regalia tradidisse non sine spe fore, ut ita

noch stand ihr Anrecht fest. Man liess sich ihre beifällige Acclamation gefallen."

c. De hac electione Toln. pag. 301 refert ex Amandi, Friderici I secretarii libro de primis gestis Friderici I haec legi apud Gebwoldum I de septemvir. c. 6: „Plurimo numero convenientes principes dixerunt per suos internuncios ad 6 aut 8 principes officiatos regni residentes in arcano loco curiae regalis: »nos et tota patria testatur, nullum aptiorem esse regno regendo quam Fridericum de Weiblingen.« Cujus narrationis quod refutatione opus non est, satis sit audire, quae jam antea contra illud collegum officiale scripta sint. Pag. ad Baron. IX pag. 59 n. III „Ex ejus (sc. Friderici) electione numerus septenarius Electorum sacri imperii a Gregorio V institutus commenticius ostenditur; cum Guntherus .... in suo opere de Rebus gestis Friderici primi Aug. lib. I de ejus electione scribat: (cf. Ligur. ed. Duemge pag. 14)

„„Acturi sacrae de successsore coronae
Conveniunt proceres totius viscera regni,
Sede satis nota, rapido quae proxima Mogo"" etc.

— Murat. Ann. d'Ital. VI pag. 501: „Degno è di osservazione, che a tale elezione ebbero parte tutti i principi della Germania per attestato di Ottone Vescovo di Frisinga, que uno fu di que' Principi: il che fa conoscere, quanto sia mal appogiata l'opinione di chi pensa tanto prima instituito il collegio de' sette Elettori;" — Id. Antiqtt. Ital. diss. III (tom. I pag. 93 seq.) „Manibus quidem pedibusque niti Christophorus Gewoldus potest in commentario de Electoratu cap. 7, ut statuat institutum multo antea (hoc est Ottonis III temporibus) collegium septemvirale Electorum. Nos ei objicimus Wipponis auctoritatem, apertam satis atque perspicuam, et praesertim accepto simul illius scriptoris contextu etc. ... (postquam Italicos quoque principes electionis Friderici I participes fuisse ostendit) Quare jam videas non unis Germaniae Primatibus, eoque minus unis Septemviris Electoribus olim datum creare posse Regem ..."

d. Nomina principum singulorum per hanc electionem enumerata non invenimus, neque hoc mirum est, quoniam cunctos principes interfuisse satis constat. — Alberic. pag. 321 ad 1152 „Fridericus ... a majori parte majorum electus ..." contra reliquos fontes valere non potest. — Pfist. II pag. 359 „Heinrich (der Löwe) stand wegen seiner Jugend zurück." — Lud. X pag. 295 „Heinrich der Welph hatte durch sein Versehen gegen Hartwich, Erzbischof von Bremen, die Geistlichkeit wider sich aufgebracht." — Lud. l. c. n. 9 „Da kein einziger Fürst namentlich als anwesend bezeichnet wird, so darf man allerdings nicht mit Bestimmtheit behaupten, dass Heinrich (der Löwe) und Welph nicht in Frankfurt erschienen seien, weil auch sie nicht genannt werden. Indessen möchte ich doch glauben, dass sie genannt sein würden, wenn sie sich wirklich eingefunden hätten." E contrario crediderim: Nominarentur ii, si non interfuissent, sicut in Conradi III curia Babenbergensi Henricus Superbus absens nominatur. Welpho VI quidem, avunculus Henrici Leonis, marchio Tusciae idemque dux Spoleti, inter barones Italicos, qui aderant, videtur advenisse, nam eodem anno 1152 cum Friderico jam rege Paderbornae fuit; cf. dipl. Frider. I imper. ap. Mir. I pag. 537, Paderbornae dat., ubi subscriptus est: „Dux Welpho".

Friderico filiolo securius regnum servaretur. Hujus consilii causa sine dubio ea fuit, quod Conradus sperabat, principes, quo animo prompto Henricum filium majorem natu antea elegissent, eodem Fridericum minorem, justam aetatem si adipisceretur, electuros esse. Atque etiam Conradus videtur confisus esse electionem filioli Friderico nepoti aliquando curae fore[21]). Sed etiam principibus jam tum, quum Fridericum nepotem elegerunt hoc Conradi consilium cordi fuit. Nam Fridericus I ea conditione electus est, ut Friderico, avunculi filio, quum ad aetatem pervenisset, regnum redderet[22]).

Pergat nunc quidem narrare Otto Frisingensis[23]): »Astrictis igitur omnibus qui illo confluxerant fidelitate et hominio, prin-

[21]) cf. n. 8.

[22]) Huc refero verba illa Ottonis Fris. Gest. Frid. II c. 1 „cum de eligendo principe primates consultarent ... tandem ab omnibus Fridericus, Suevorum dux ... petitur, cunctorumque favore in regem sublimatur:" illud enim: „tandem ab omnibus Fridericus ... petitur etc." difficile esset ad intelligendum, nisi interpretamur, eos antea aut de alio principe, aut de hac quam dixi supra conditione consultasse. Item huc refero illud Burchardi Bib. pag. 9 ad h. a. „Fridericus ... regnum accepit magis ex delegatione patrui sui quam ex delectione principum." — Testis etiam Alberic. pag.321 ad h. a. (postquam confusum quoddam narravit) „Fridericus ... electus Romam abiit, infantem (sc. Fridericum Conradi filium) secum duxit, violenter a papa benedictionem extorsit, et quod papa post benedictionem dedit ei maledictionem, nisi infanti regnum redderet cum ad aetatem pervenisset . . . " — Huc etiam, quamquam perperam, videtur spectare chron. Halberst. pag. 58 „Defuncto ipso puero (sc. Friderico Conrado filio) idem Fridericus dux in regem est elevatus" (Fridericus „hic puer" 1167 demum obiit!), et Alberic. l. c. „Sed eodem infante (sc. Friderico filiolo) ... similiter mortuo, regnum sibi retinuit idem magnus Fridericus, filius ducis Friderici, fratris ejusdem Conradi." — Omnem dubitationem aufert „Kaiserchronik" ed. Massm. II pag. 539: (Isquidem fons certus; cf. Wattenb. pag. 345.)

„Die vürsten alle gelîche
enphulhen im (sc. Friderico I) daz rîche.
mit gedinge daz geschach
des auch der herzoge (sc. Fridericus I) selbe jach
»daz rîche der junge sun sol hân,
den künic Kounrât het verlân,
sô er gewahse zeinem man,
daz er des rîches phlegen kan.«"

Queri nunc possit, cur de re tanti momenti ii fontes, quos narrantes modo fecimus, conticescant. Otto Frisingensis, avunculus Friderici regis Wibaldus archicancellarius Conradi III mortui, rationem quandam pietatis habentes atque tali eventu gaudentes, quum modo referant neque, ut jureconsulti, perscribant, libenter illud cum principibus pactum electionem praecedens praetermittunt, praesertim quum ille Friderici regis mundato (cf. Wattenb. pag. 353, 354) ejus Gesta scripserit, hic papam de electione certiorem tantum fecerit. Fridericum vero ipsum in sua ad papam epistola conditionem illam non perstrinxisse, minime aegre ferendum est.

[23]) Otto Fris. Gest. Frid. imper. II c. 3.

cipibus cum paucis, quos ad hoc idoneos judicavit, ceteris in pace demissis, rex cum multa jucunditate quinta feria naves ingreditur, ac per Mogum et Rhenum navigans in villa regali Sinciche applicuit, ubi equos ascendens in proximo sabbato Aquisgranum venit[24]. Sequenti die, id est, dominica qua »Laetare Hierusalem« canitur ab episcopis a Palatio in ecclesiam beatae Mariae semper virginis deductus cum omnium qui aderant applausu, ab Arnoldo Coloniensi episcopo aliis cooperantibus coronatus, in sede regni Francorum, qui in eadem ecclesia a Carolo Magno posita est, collocatur non sine multorum stupore, quod in tam parvo temporis spatio non solum tanta principum seu de regno nobilium confluxerat multido, sed et quod de orientali Gallia, ad quam nondum hujus facti rumor pervenisse putabatur, nonnulli advenerant.« Fridericus[25]): »Quinta postmodum die (i. e. post electionem) id est transacta proxime mediante quadragesima, pari et eodem consensu cum benevola populi acclamatione in oppido Aquisgrani nos per sanctissimas devoti filii vestri Arnoldi Coloniensis metropolitani et venerabilium episcoporum manus oleo sanctificationis regaliter unxerunt et in solio regni cum benedictione sollemni collocaverunt« Wibaldus[26]): Pari et eadem alacritate (sc. qua Francofordiae electus erat) et admiratione quinta postmodum die unctione sacra pontificum in solio regni more majorum Aquisgrani sublimatus est. Salva sane in omnibus divinae omnipotentiae reverentia quae operabatur in cordibus hominum ad inclinandum eorum voluntates quocunque vellet, in hac tam incredibili tam celeri concordia trahebat sua quemque voluntas. Multorum vox erat in ipsa impositione diadematis, expeditionem Italicam, quam patruus ejus strenue ordinaverat, ipse firmaret ac perficeret. Sequenti vero die tam Coloniensis quam episcoporum, qui illic aderant consilium et exhortatio erat, ut eandem militiae sacramentum acceptis expeditionem Italicam ad propulsandas apostolicae sedis injurias promoveret; sed laici principes simplici fortasse animo studiose suggerebant non oportere in hac rerum novitate tam gravi sponsione principem devincire, ne improbitas rebellantium de ipsius celeri egressu certa, in extremam dementiae audaciam prorumperet: decere etiam, ut vocatus a vobis potius, quam sua sponte veniret etc.«

Jam vidimus qua cum consensione 9 die Martii epistolae

[24]) Toln. pag. 301 nominat hoc in itinere Herrmannum Palatii comitem comitantem.

[25]) Epist. Frid. imper. ad Eug. III pap.

[26]) Wib. epist. ad Eug. III pap. l. c.

Frid. et Wib. Fridericum I in basilica Aquisgranensi more majorum coronatum esse significent[27]).

Peractis his omnibus quae diximus negotiis, rex novus hanc epistolam, quam saepius memoravimus, ad Eugenium III papam misit, in qua quum alia tum haec scripta sunt: »solemnem itaque imperii Romani morem a proavis nostris imperatoribus videlicet et regibus ad nos transmissum sequentes legatum nostrum, virum utique honestum et discretum E.[28]), venerabilem Babenbergensem episcopum, adjunctis sibi H.[29]), Trevirensi electo, et A.[30]). Everacensi abbate ad vestrae sanctitatis praesentiam, et ad urbem destinare curavimus, ut tam ex praesentis paginae indicio, quam ex ipsorum viva voce de nostris provectibus et totius ecclesiae ac regni statu certiores esse possetis[31]).«

IV. Electio Henrici VI

anno 1169.

Fridericum imperatorem, mortuo anno 1167 Friderico de Rotenburg[1]), quin Henricum filium regem eligendum curaret, nihil impediebat. Finita quarta expeditione Italica anno 1168, imperator in Germania opes imperii refecturus remanebat.

[27]) Frider. et Wib. „quinta postmodum die“ (sc. „post electionem“) i. e. 9 de Martii. — (Ann. S. Petr. Erphesf. pag. 20), Ann. S. Petr. et Apuens. pag. 20 „Fridericus unctus Aquisgrani 7 idus Marcii“ i. e. 9 die Mart. — (Toln. pag. 301 sequente dominica 9 Martii coronatus etc.“ — cf. Lud. X pag. 293). — Otto Fris. supra confundit chronologiam. Nam si 5 aut 3 de Mart. (cf. n. 19) electionem fuisse vult, si Fridericus tum demum 5 feria post, ut pergit Otto ipse scribere, naves ingressus est etc., dominica „Laetare“ jam praeterierat, priusquam Aquis granum venit. Siquidem anno 1152 „Oculi“ 29 dies Febr. fuit (cf. n. 19), contra Ottonem Fris. et chron. Samp. efficitur, coronationem neque dominica „Laetare“ neque die palmarum, sed die Martis post Laetare fuisse. — Chron. Sampetr. pag. 218 ad h. a. „Aquisgrani die palmarum regali benedictione sublimatur.“ cf. Chron. reg. S. Pant. pag. 935 ad h. a.

[28]) Eberardum, qui Engelberto 1146 successisse dicitur.

[29]) Hillino, qui Adalberto anno 1152 defuncto subrogatus est. (In dipl. Philippi Alsatii ap. Mir. I. pag. 187, anno 1169 dat. „Hellinus Dapifer“ subscriptus est).

[30]) Adamo abbate Everaci seu Ebraci, quod est magnificum ordinis Cisterciensis in dioecesi Herbipol. coenobium.

[31]) Ex hac epistola intelligi potest, quantum reverentiae eo tempore reges electi sibi erga sedem Romanam observandam putaverint, ut ejus gratiam ac favorem assequerentur. Huic epistolae dies subscriptus non est. Papa ad eam respondet, electionem benigno favore sedis apostolicae approbans (cf. Pertz, m. IV pag. 90), Signiae, 17 die Maii. (ad n. 29, 30, 31. cf. n. a. b. c. ad epist. Frider. imper.)

[1]) Anno 1167 in Italia pestilentia mortuus est. cf. Helm. pag. 135.

Proximo anno Henricus filius ejus natu maximus[2]) rex electus est. De hujus electione et coronatione fontes tantummodo pauca quaedam nobis tradunt. Quae quidem componamus.

Ann. Peg. et Bos.[3]) »Imperator Fridericus curiam habuit in Babinberc, ubi Christiano episcopo vice ejus proloquente, Heinricus filius imperatoris quinquennis in regem eligitur et in festo sancti Johannis baptistae Aquisgrani intronizatur.«

Ann. Palid.[4]) »Imperator curiam habuit Erpesford in natale S. Johannis baptiste, ubi filius ejus Heinricus in regem eligitur (24 Junii) et in assumtione sancte Marie Aquisgrani ungitur.«

Chron. Magn. Presb.[5]) »Inperator celebravit curiam generalem et valde celebrem apud Babenberg in diebus pentecostes, quod evenerat tunc in 6 idus Junii, cui interfuerunt legati quos dixerunt[6]) cardinales illius[7]), quem post mortem Gwidonis Cremensis illa pars sibi quasi in papam elegerant. Ubi ex consensu et collaudatione omnium principum, qui aderant, inperator filium suum in regem electum et coronatum post se regnare firmavit. Archiepiscopus Salzburgensis autea ab inperatore vocatus, cum venisset illuc cum patre suo rege Boemorum et presentiam inperatoris et audientiam curiae expostulasset, admissus non est.«

Ann. Aquens.[8]) »18 Kal. Septembris unctus est filius Friderici imperatoris nomine Heinricus in regem Aquisgrani.«

Ann. Camerac.[9]) Fridericus imperator reginae consilio atque archiepiscoporum seu episcoporum ducum ac comitum sive procerum Theutonici regni, filium suum Aquisgranis in regem sublimavit in die assumptionis beatae Mariae semper virginis.«

Ann. Col. max.[10]) »Filius imperatoris Heinricus adhuc quinquennis existens unctus est in regem Aquisgrani a Philippo Coloniensi archiepiscopo, die assumptionis beatae Mariae.«

Ann. S. Jacob. Leod.[11]) »Henricus puer filius imperatoris Aquisgrani sublimatur in regem.«

---

2) cf. Chronogr. Weing. pag. 67, 68. – Raum. II pag. 152.

3) pag. 260 ad h. a.

4) pag. 94 ad h. a. — 29 Aug. Decoll. S. Joan. bapt. S. Sabine. cf. Weidenb. p. 106. — 24 Jun. Natal. (de sanguine) Joan. bapt. ibid. p. 104.

5) pag. 489. 490 ad h. a.

6) lege „direxerunt." cf. Pag. ad Baron. IX pag. 356.

7) Gwido est Paschalis III. † a. 1168, 20 d. Sept. Ejus successor Calixtus III a. 1168. non item Pag. l. c.

8) pag. 686 ad h. a.

9) pag. 550 ad h. a.

10) pag. 783 ad h. a.

11) pag. 642 ad h. a. — cf. Lamb. Parv. ann. pag. 648 ad h. a. et Rich. Sen. pag. 33.

Ex omnibus his locis colligenda esse haec videntur: Fridericus imperator curiam generalem atque celeberrimam diebus pentecostes, quae tunc 8 die Junii fuit, Bambergae habuit. Ubi Christiani archiepiscopi Moguntini[12]) consilio, consentientibus et collaudantibus omnibus qui aderant principibus et praesentibus Callisti III papae legatis, Henricus imperatoris filius quinquennis[13]) rex electus est. Idem die festo assumptionis beatae Mariae, id est 15 die Augusti, consilio imperatricis, omnium episcoporum, ducum, comitum procerumque regni Germanici qui aderant, Aquisgrani a Philippo archiepiscopo Coloniensi coronatus est[14]). Sic ex his quatuor electionibus effi-

---

12) Archiepiscopus Mogunt. fuit. cf. dipl. Frid. I ap. Mir. I p. 189, anno 1171 dat., ubi subscriptus est; cf. Helm. pag. 231, ubi Christianus archiep. Mogunt. anno 1167 in exercitu imperatoris fuisse dicitur. Lud. XI pag. 271, Raum. II pag. 251.

13) Ann. Col. max. pag. 779 ad 1165 „natus est imperatori filius nomine Heinricus apud Noviomagum." — Staind. chron. pag. 491 ad 1165 „Henricus filius imperatoris nascitur."

14) De coronatione fontes consentiunt, excepto Magno Presb., sed Magnum Presb. aut scripturum: „et coronatum Aquisgrani post se etc." cum negligentia quadam „Aquisgrani" omisisse, aut inepte contra reliquos fontes scripsisse, nisi hic locus est corruptus, non difficile ad intelligendum est. Jam Mansi ap. Baron. tom. IX pag. 356 n. 1 de Pagio, qui ibid. auctoritate chronographi Reichersp. (Magni presb. i. e.) chronographum Aquicinct. (cf. Wattenb. pag 298) et Sigonium lib. XIV. de Regn. Ital., qui velint, Henricum Aquisgrani coronatum esse, erroris arguit: „Sigonium et chronographum Aquicinct., inquit, in assignanda pro coronatione Henrici V (nempe VI) in regem urbe Aquisgranense immerito erroris arguit Pagius, nam ... anonymus author ann. Bos. ... asserit ... inthronisationem ... Aquisgrani (sc. factam) etc." — Alia vero quaestio est haud facilis de contradictione, annalium Peg. et Palid. et Magni Presb. — Chronographus ann. Bos. sine dubio aequalis Henrici VI (Mansi ap. Baron. IX pag. 356 n. 1 „Huic [sc. chronographo ann. Bos.] utpote coevo et res Germaniae suae tradenti ...) bene recolere potuit, ubi electio et coronatio fuerit, non item fortasse, quo die fuerit, quum demum ca. ann. 1180 scriberet (cf. Cohn, pag. 28. — Wattenb. pag. 382). Et eum quidem chronographum ann. Bos. ex annalibus Magd. exscribentem (cf. Cohn. l. c. — Wattenb. l. c.) neque quidquam in iis de electione et coronatione Henrici invenientem (ann. Magd. ad 1169 nihil referunt de his rebus) alibi diem quaesivisse opinor. Itaque fieri potuit, ut annales Palid., qui tum jam conscripti videntur esse (cf. Wattenb. pag. 412), inspiceret. Ubi quum inspexisset, quod etiam nunc legitur, diem tantum excerpens Bambergae, quippe quem electionis locum fuisse ipse melius sciret, apposuit, sed cum negligentia quadam scripsit: „eligitur et in festo S. Johannis etc." pro „eligitur in festo S. Johannis baptistae et Aquisgrani etc." simul eadem cum negligentia diem coronationis omittens. Hoc modo crntradictio orta esse potest, si annales Palid. hoc loco tum eandem quam nunc lectionem habuerint. Sed autographum horum annalium Cantabrigiae, ubi antea reservabatur, non jam reperitur; apographum recentius tantum Gottingae conservatum est (cf. Wattenb. pag. 411). — Accedit vero ad contradictionem tollendam chronicon Magni Presb., auctoris in

citur, domum principalem Stauffensem imperium una principum factione favente adeptam, principibus jure eligendi integro remanente, omnium voluntate ac favore ter in ejus possessione mansisse.

---

numero doctissimorum saeculi XII habendi, qui annales Reichersp. usque ad 1195 retractavit (cf. Wattenb. pag. 365). Ipse bene recolere potuit, quum anno 1195 jam senex, ut videtur, mortuus sit (cf. Pertz m. XVII pag. 441, ubi „in cod. 3 ad 1195 etc.“ legitur). Ceterum etiam Erphordiae hoc tempore curia fuisse potest sicut eodem anno et eodem fere tempore, scilicet 8 idus April., jam Bambergae curia fuerat; cf. Ann. Col. max. 783 ad 1169. — Nescio cur Raum. II pag. 156. Henricum 16 die Aug. coronatum esse velit.

VITA.

Natus sum Laurentius Albrecht in vico Breitenstein juxta oppidum Valcium sito d. X. mens. Octbr. a. MDCCCXXXV patre Laurentio, matre Anna e gente Radunz. Illum a. h. VI. a. morte ereptum, hanc morbo in dies consumi lugeo. Fidem amplector Catholicam. Primis litterarum elementis domi instructus per novem annos frequentavi gymnasia Valciense, Cuniciense, Glogoviense, quod etiamnunc viro ill. Wentzel rectore floret. Inde, testimonium maturitatis adeptus, hanc almam Viadrinam petii et apud summe venerabilem theologorum Cath. ordinem nomen professus per quattuor semestria interfui scholis Rev. virorum Baltzer, Friedlieb, Reinkens, Stern, Bittner, Krainski, Ill. Gitzler, Rossbach, Elvenich, Karow, Pfeiffer, Bernays. Tum apud amplissimum philosophorum ordinem nomen professus per sex semestria interfui scholis Ill. virorum: Rossbach, Haase, Junkmann, Roepell, Braniss, Elvenich, Hertz, Cauer, Gruenhagen, Pfeiffer, Behnisch, Freymond. Exercitationum semin. historici particeps factus ex benignissima Junkmanni et Roepelli instructione summum percepi fructum. Peracto hoc triennio jam compluries studia interrumpere coactus inops a pecunia in regionem Posnaniensem recessi, ubi in domo comitis Potulicki per tria semestria officio praeceptoris domestici functus sum. Inde reversus Vratislaviam denuo studiis me dedi eaque denuo per aliquot menses iniquitate temporum interrupta nunc demum huc peregi.

Mirum quendam contextum fortunae adversae et secundae haec sedecim semestria mihi ostendunt; utrius vero memoria sit jucundior, nescio.

Viris illis optime de me meritis quum omnibus gratias ago quam maximas, tum Ill. Junkmanni singularis erga me humanitatis ac benignitatis recordari non desinam.

THESES.

I. Apud Hebraeos morem non fuisse, ut homines immolarentur.
II. Faramundum non nomen personae, sed muneris fuisse.
III. Apud Alemannos nobilitatem fuisse.
IV. Scientiam sui initiari affectionis alienae et animi cooperatione.


COLUMBIA UNIVERSITY
0032258127